
51.105
11.A.64
50

BOYLSTON



Annin & Smith

Medical Library.

J45

THOMAE GLASS,
MED. DOCT.

COMMENTARII
DUODECIM
DE
FEBRIBUS
AD
HIPPOCRATIS DISCIPLINAM
ACCOMMODATI.

EDITIO NOVA

CURANTE
ERN. GODOFR. BALDINGER,
PHILOS. ET MED. DOCT.
MED. ET BOT. PROF. ORD. ET FAC. MED. ASSESS. IN ACAD. IENENS.
ACAD. CAES. NAT. C. ET ELECT. MOGUNT. SCIENT. UTIL. SOC.

IENAE et LIPSIAE,
apud. JO. GUIL. HARTUNG.
MDCCLXXI.

BOSTON MEDICAL LIBRARY
MAR 5 1904

VIRO ILLVSTRI,

EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO,

IO. FRIDERICO HUFELAND,

MED. DOCTORI,

SERENISSIMAE DOMVS SAXO-VINARIENSIS ET ISENACENSIS CONSILIARIO AB AVLA ET ARCHIATRO &c. &c.

FAVTORI EXOPTATISSIMO.

VIR ILLVSTRIS,

EXCELLENTISSIME ATQVE EXPERIENTISSIME,

FAVTOR INDVLGENTISSIME,

Contigit ea mihi felicitas, vt ab anno fere decimo ſexto aetatis meae in vrbibus viuerem, vbi ex doctorum virorum inſtitutione primum, deinde vero ex doctis colloquiis, quae cum doctis viris haberem, diſcendi eſſet mihi occaſio. Sic vixi diuerſis temporibus Erfurti, Halae, Ienae, belli tempore vero Torgauiae et Vitembergae in noſocomiis caſtrenſibus,

deinde Longoſaliſſam Thuringorum veni, et nuper Ienam vocatus ſum. Nolo derogare praeceptoribus meis, quas merentur, laudes et egregia in me merita, hoc ſaltim volo, prae ceteris me multum debere MANGOLDO meo, qui primus formauit animum iuuenis, qui me ſatis mature docuit, quibus in libris veram inuenirem, quae medicorum eſt, ſapientiam, qua ratione obſeruationum fides ſit eruenda, et quibus denique inſtructus eſſe debeat adminiculis medicus, qui noſtro aeuo docti viri nomen tueri cupit. Quum poſtea Doctoris titulo Ienae ornatus, Torgauiam ad Albim venirem, innotui ibi LVDOLFFO, medico ab exercitu Regis ſecundo, qui ante aliquot annos Berolini praematura obiit morte, viro in omni fere doctrinarum genere exercitatiſſimo, et in medica arte imprimis peritiſſimo.

Quum is vir optimus in me animaduerteret veri amorem, et cupiditatem illam, qua ex omni tempore libros euoluere ſolitus, me adamauit adeo, vt nunquam ad eum aditus mihi non pateret. Benigniſſime ſemper me excepit, et ex doctis eius confabulationibus multum ego didici, vt immortalia ſane viri huius in me ſint merita. Huic viro ſentiendi libertatem debeo, et notitiam quoque praeſtantiorum librorum, quorum ingen-

ingentem copiam apud eum ſemper inueni, licet in caſtris viueret ille, inter belli tumultus et armorum ſtrepitus. Praeter haec eruditionis ſolidioris adminicula, inſtrumentorum et machinarum ſupellectilem ſatis ſplendidam, nec non theſaurum rerum naturalium poſſidebat, quibus rebus ne quidem in caſtris carere volebat. Harum rerum pars aliqua erat ex beati LIEBERKVHNII theſauris, alia vero ex Anglia et Gallia magnis ſumtibus coëmta. Apud eum virum, rerum phyſicarum curioſiſſimum, quotidie fere noua vidi, et ex doctis eius colloquiis profeci adeo, ut doctior ſemper ab illo diſcederem. Laetabatur is vehementer, quoties ego librum recenter editum apportarem, et luculentis teſtimoniis probauit amorem ſuum in me eximium, vt hodie, dum haec ſcribo, memoria tanti viri, tanti Fautoris, cuius mortem non pauci mecum lugent, mihi ſit ſanctiſſima. Amabat ille anglorum inprimis in artem noſtram merita, et in medica praxi commendabat ſelectum remediorum, ſimplicium potiſſimum, quibus eſt efficacia et virtus, exigua, ſed repetita doſi exhibendorum. Quod ſemioticam attinet, LVDOLFFVM meum inueni medicum Hippocraticum, ſtudioſiſſimum morborum obſeruatorem, quem multoties ſubridentem vidi, cum ſermo eſſet de quorundam recentiorum audacia, qui algebraicorum more,

viui humani corporis phaenomena nuper demonſtrare auſi —.

Eo tempore quoque contigit mihi felicitas innoteſcendi chirurgis meritorum copia conſpicuis, et longe lateque celeberrimis, Bilgvero et Theedenio, ex quorum conſuetudine, quae mihi cum illis quotidie fuit, multa didici omnino. Laetus recordor, Vitembergae ſenem annis et meritis conſpicuum, illuſtrem Trillervm, me inueniſſe fautorem eximium, qui multa mecum, de auctorum veterum, hodie a non paucis nimium neglectorum, praeſtantia confabulatus eſt. Contigit ibi quoque felicitas, vt viri doctiſſimi, Langgvthivs et Boehmervs humaniſſime me exciperent. Non tamen hodie ſuperſtes viuerem, niſi optimus ille Heinrici, Praefectus Chirurgorum, nunc in Polonia Sereniſſimi Principis de CZARTORYSKI Chirurgus, ex orci faucibus me eripuiſſet, cum Torgauiae diriſſimo laborarem morbo miliari. Huic vitam debeo omnino, niſi enim mei curam is egiſſet, de me actum fuiſſet, nec inter mortales adhuc verſarer, diu mortuis adſcriptus. Bello demum finito, et pacatis in Germania rebus *Longoſaliſſam* ex Dei nutu veni, atque ibi tibi Vir Illuſtris, vt innoteſcerem, contigit mihi felicitas. Eo vero tempore in te admirari coepi praeclaram illam doctrinam,

et

et ſingularem in arte medica peritiam, qua multos antecellis, vt ab omni adulationis ſpecie longe alienus fateri debeam, magno mihi fuiſſe ſolatio, me remotum ab amicis meis, in TE inveniſſe Fautorem. Qui non mirarer excellentiorem doctrinam Tuam, cum TVA erga me ſingularis humanitas et beneuolentia concederet, vt ſaepius TE adirem, et ex doctis ſermonibus TVIS cognoſcerem, TE optimos artis noſtrae auctores, veteres imprimis, et ex recentioribus praecipuos, frequenter legiſſe, horumque ſaluberrima praecepta diu iamiam artis uſui feliciſſime accommodaſſe. Obſtupui profecto cum intelligerem, TE antiquioris aeui medicos tanti facere, quos tanta laudabas facundia, vt neminem TE melius de his unquam diſſerere audiuerim. Quanta hilaritate quantaque orationis concinnitate commendare ſolebas recentiorum merita, qui veterum ſequuti veſtigia, vt in dies magis abs TE edoctus ſentirem, TIBI admodum eſſe cognita et perſpecta, quae ab omni retro aeuo ſummorum in arte medica virorum inuenerit ſollertia. Quid de eximia TVA in arte medica peritia dicam, quae tanta eſt, vt ad eam peritiae excellentiam vix pauci perueniant vnquam. Summum in TE ſtudium obſeruationum, ſummamque ingenii TVI aciem in morbis obſeruandis, ſaepiſſime ſum admiratus.

 Nun-

Nunquam illorum obliuiſcar temporum, quorum mihi ſemper iucundiſſima recordatio. Tunc enim frui licuit mihi doctrina et peritia TVA, ſplendida quoque et ſelecta bibliotheca TVA, optimis libris inſtructa, meis vſibus inſeruiit. TVA in me ſingularis beneuolentia magno mihi fuit ſolatio, eo in loco, vbi praeter paucos alios amicorum meorum, e ſacerdotum inprimis ordine venerabili, vix inuenirem quemquam, qui litteras amare didiciſſet. Laetus recordor illius diei, quo elegantem ZIMMERMANNI librum: de experientia medicorum, recenter tunc editum, mecum communicabas, mihique ſimul aſſeuerabas, hunc librum a me non ſine ſumma voluptate lectum iri. Eius generis gaudia permulta TIBI debeo, et grato animo beneuolentiam TVAM rependere ſtudui, quoties opportunam inuenirem occaſionem. TVVM exemplum mihi vtile fuit, Tuaque auctoritas, quam tanti feci, me magis magisque excitauit, ut ea ſcripta, quae olim legere coeperam veterum, et ex nuperis HALLERI, RICHTERI, BRENDELII, TRILLERI et aliorum, quos principes aeui noſtri eſſe nemo negat, denuo lubentiſſime euoluerem. Probaſti ex illo tempore, quo in TVI ego notitiam veni, eam rationem et normam, quam in addiſcenda arte medica a viris modo laudatis acceperam, et placuit TIBI MANGOLDVS meus, placuit LVDOLF-

FVS,

FVS, nec diſplicuit bibliothecae meae ſelectus. Nemo TE magis laetatus eſt, quoties fortuna iubente res grata mihi accideret. Gottingae viris meritorum laude conſpicuis innotuiſſe, inter praecipua vitae gaudia referre ſoleo, et cum ex eo itinere redirem, nemo TE magis gauiſus eſt, cum non ſolum doctrinam ſed etiam humanitatem Gottingenſium Doctorum coram TE laudarem. Eam methodum in tradendis diſciplinis artis noſtrae, quae ab academia condita ibi floruit, optimam ſemper iudicauimus. Inter haec gaudia effluxit aetas. Euenit poſtea, vt ſplendido munere Archiatri digniſſime ornatus, diſcederes a nobis, et in aula Vinarienſi curam ſanitatis ſereniſſimae familiae in TE ſuſciperes, quo quidem tempore TV mihi ereptus, ſed remanſit apud me grata beneuolentiae TVAE recordatio, TVque et abſens per litteras TVVM erga me fauorem teſtatus es, vt tantam iacturam, quae dicenda eſt tanti fautoris abſentia, imminueret aliquid epiſtolarum commercium.

Accidit deinde, vt Ienam ego vocatus, haud procul abs TE domicilium inuenirem, muſis et litteris ſacrum, quo ſaepius ex diſſitis regionibus et locis ad me veniunt noua litteraria, de quibus vel eam ob cauſam vehementer gaudeo, quod aſſidue de rebus inter doctos geſtis, et de libris recenter

editis,

editis, ad TE unam et alteram ſcribere poſſim epiſtolam. Laetaris ſaepe mecum de incremento ſtudii noſtri, quod nunc in dies magis excolitur a viris ſagaciſſimis, quorum non pauci noſtra aetate inclaruerunt. Eo vero totius artis noſtrae incrementum redit, vt veterum monimenta ſint norma, quam celeberrimi viri aeui noſtri ſibi praeſcripſerint. Nullus itaque dubitaui ſub auſpiciis muneris mihi demandati, commendare veterum egregia monimenta, et plauſum facile ſperabam, cum in ea vrbe et ſcriberem et docerem, quae aluit quondam ſtrenuos veterum defenſores, ROLFINCKIVM, W. WEDELIVM, FICKIVM, et alios, de academia noſtra optime meritos. Poſtea vero, vt nil quidquam deſit, quod aliqua ratione ſtudium noſtrum iuuare poſſit, optimos libellos recudi curaui, illos inprimis, qui ad meliorem veterum intelligentiam, Hippocratis maxime faciunt, e quibus elegans liber, quem olim edidit COPE, prae ceteris mihi arriſit, et quem TV quoque ex optimis iudicaſti. Nunc autem et GLASSII librum, a paucis in Germania viſum, vel eam ob cauſam denuo edere decreui, vt exteri ſentiant, laudari quoque in ſchola Ienenſi libellos, qui conſentiunt apprime cum Hippocratica medicina, poſt BOERHAAVII et HOFFMANNI tempora a tot tantisque viris celeberrimis exculta. Non eius generis conamina ab officio

ficio

ficio mihi demandato aliena cenſebit aequus lector. Eſt enim theoria medica, quam iuſſu Sereniſſimorum Saxoniae Ducum in hac academia profiteor, quamque chariſſimos auditores ea ratione doceo, vt ad exteros miſſi, teſtes ſint, me non ſolum in phyſiologicis lectionibus, ſed ubique fere, veterum et recentiorum dogmata praecipua tradidiſſe.

Nulla vero re magis ſtudii noſtri incremento me inſervire poſſe credidi, quam ſi ex tenebris quaſi protraherem in lucem optimos libellos et rariores, quorum dogmata omnium conſenſu ſatis idonea eſſent ad amplificandam doctrinam iuniorum medicorum, quorum ſaluti nos auctoritate publica moniti debemus proſpicere. Quod quidem conſilium meum, quod alii iamiam probarunt, ſi TIBI non prorſus diſpliceat, quem optimum iudicem ſcio, magno mihi erit ſolatio, me operam dediſſe, vt ſtudii Hippocratici dignitas in dies ametur magis. Habes hic Vir Illuſtris, narrationem de ratione ſtudiorum meorum, et conſiliorum, quibus pro viribus conceſſis allaboraui augere commoda litterarum. GLASSIO multos auguror lectores, et ratus ſum, e re mea eſſe, ſi hac opportuna occaſione, quae ſponte mihi ſe offert, publice teſtarer pietatem erga TE meam, quam TV quidem ſcis eſſe ſummam, ſed hoc vt et ſciant lecto-

res

res Glassii, datis ad te litteris efficere volui. Deum precor, vt te ad annos vsque neſtoreos ſaluum et incolumem ſeruare velit. Hoc mecum profecto ſinguli optant, qui bene cupiunt Archiatro Sereniſſimae ſtirpis Vinarienſis, cuius tanta et immortalia merita in academiam noſtram. Quod reliquum eſt, tibi de meliori me commendo, qui pia mente emoriar

ILLVSTRIS TVI NOMINIS

Scripſi
Ienae, d. xiii. April.
mdcclxxi.

Cultor addictiſſimus

E. G. Baldinger.

Μέγα

Μέγα δὲ μέρος ἡγεῦμαι τῆς τέχνης εἶναι, τὸ δύνασθαι σκοπεῖν, καὶ περὶ τῶν γεγραμμένων ορθῶς. ὁ γὰρ γνοὺς καὶ χρεόμενος τούτοις, οὐκ ἄν μοι δοκέῃ μέγα σφάλλεσθαι ἐν τῇ τέχνῃ.

Hipp. lib. Epid. 3. ſect. 3.

RICARDO
MEAD,
M. D.

THOMAS GLASS,

S. P. D.

Propter tuam in arte noſtra præſtantiam, Te, Vir celeberrime, opuſculo ſequenti Patronum ambio. Hi itaque ad Hippocratem Commentarii, quâ par eſt

b reve-

reverentiâ, Tibi offeruntur. Si quid in iis utile Medicinæ contulerim, tuo patrocinio frui haud dubitabo; ſin minus, id molienti veniam concedes.

PRAE.

PRAEFATIO.

Cum intellexerim omnes omnium gentium Medicos, ſupra bis mille annos, Hippocratem in ſummâ admiratione habuiſſe, ejus viri volumina aſſiduâ manu verſavi.

Difficilis quidem habitus eſt Author: etenim, præter voces obſcuras, ſcripta lacera, alienaque adjecta; is tum ſingularem ſermonis brevitatem conſequitur; tum ſumma tantum ſive accidentium, quæ adverſâ valetudine eveniunt, ſive auxiliorum, quæ ægrotis adhibentur, perſtringere ſolet; tum ſenſa ſæpe admodum quaſi premit: (uti pro exemplo) Febris tertianæ exquiſitæ nomen, nec non materiæ turgentis, aliquoties profert, multa de iis præcipit, ſed proprietates omnino tacet. Hic enim ſummus Artifex magiſtros medicinæ in arte ſua informare plurimùm ſibi propoſuit; ea itaque, quæ vulgo medicis nota erant, vel leviter attingit, vel prorſus omittit; quæcunque ve-

ro iisdem ignorata erant, ſcitu tamen commoda, quæque magnas utilitates aut magnas noxias inferant, ipſi ſcribere viſum eſt (1). Nullus igitur dubito, medicis ſui temporis, & poſteris etiam, qui iisdem majorum ſcriptis uſi ſunt, quin admodum perſpicuus fuerit Hippocrates. Poſtquam autem iſta monumenta perierunt, deſuere medicinæ primordia, ſuper quæ, ſeu fundamentum, ſtructuram ſuam is ædificavit. Adeo ut nil mirari oporteat, ſi vir facundia inſignis recentioribus aliquando obſcurus fiat.

Hæc dicta ſunt imprimis de iis ſcriptis, quæ ut ederentur, compoſita erant: multa enim inter libros Hippocratis, ex relatione veterum commentariorum (2), in uſus privatos & ſubſidium tantum memoriæ notata erant, quæ ejus ſucceſſores evulgaverunt, ne quid tanti viri periret. Hinc, ut veriſimile eſt, tot cruda, repetita, confuſa, dubiaque in Hippocratis operibus occurrunt, quinetiam quædam plane falſa, quandoquidem ex obſervationibus ſingulariis præcepta generalia editores aliquando effecerint.

Inter innumeros autem, qui ſcripta hujus graviſſimi authoris exponere deſudaverunt, primas ſibi merito vendicat Galenus: hic

(1) De rat. vict. in morb. acut. (384) Edit. Fœſii, 1657.

(2) Galen. Com. 13. in Prorrh. 1. & l. 2. de difficult. reſpirat.

hic obſoletas voces interpretando, preſſas ſententias enarrando, locos corruptos emendando, vacuos adimplendo, Hippocratis doctrinam, pauciſſimis vix intellectam, ab obſcuritate eduxit. In his egregias utilitates medicinæ attulit. Optandum fuerat illum arti, quam omnium primus Hippocrates a ſtudio ſapientiæ ſeparavit, neque inanem philoſophiam, neque dialecticas ſubtilitates immiſcuiſſe. Inde enim medicorum animos philoſophandi diſputandique ſtudium adeo irretivit, ut ejus commenta ſumma induſtria agitaverint, ipſam autem naturam negligenter obſervaverint; donec tandem opinionum commenta delevit dies.

Quidam ex Hippocratis cultoribus, ſingularem viam ineuntes, illius præcepta novo ordine diſponere aggreſſi ſunt, qua ad penitus explorandam Hippocraticæ diſciplinæ vim, certior haud facile inveniri poſſit. Unicuique evolventi libros hujus vetuſtiſſimi medici palam eſt, quam ſententiæ & obſervationes ad eamdem materiam pertinentes per totum diſperſæ ſint, alieniſque interjectæ; eas vero colligere, atque collocare, conſilium ſummopere utile prima facie apparet. Nec ad id perſuadendum, opus eſt rationibus, quum Celſi, Aretæi, Lommiique labores in manibus ſint. Cæterum iis, quæ hi aliique viri celeberrimi in hac re præſtiterunt, aliquid poſſe adjici ſperavi.

 Eo

Eo animo Hiopocratis præceptiones ad certa capita, ut mihi viſum eſt, reducere ſategi; ex quibus unum erat de Febribus. Relegenti demum, quæ contuleram, mentem ſubiit, quod hiſtoria & curationes Febrium ex Hippocrate petitæ, parvis in arte tyronibus haud admodum ingrata res futura eſſet. Siquidem id genus morbi omnium vulgatiſſimum eſt, & maxime pernicioſum; atque licet quidam ab Hippocrate aliquid in curationibus mutaverint, hunc tamen morborum notas & earum ſignificationes optime calluiſſe apud omnes in confeſſo eſt. At confiteri etiam neceſſe eſt, ut idem optime cognoverit, quid ad avertenda mala accidentia, vel ad ea jam nata amovenda, vel ad morbos prorſus ſolvendos, natura moliri conſueſcit. Qui vero hæc maxime intelligit, & prævidet, eum artem dirigere ad naturæ normam optime etiam noſſe oportet. Hippocrates igitur, non modo obſervando naturam, ſed imitando quoque, medendo pariter atque præſagiendo juxta felix erat: isque uſu artis ſalubris tantis beneficiis Græciam affecit, ut propterea divinos honores vivens & Athenis acceperit, atque in magnis myſteriis alter poſt Herculem Jovis filium initiatus fuerit.

Eum porro hanc medendi rationem primum inveniſſe, & priſcæ medicinæ adjeciſſe, haud improbabile eſt. Ex iis, quæ id indicant,

cant, eſt procemium libri de victus ratione in morbis acutis. Utique, *qui Cnidias appellatas ſententias ſcriptis tradiderunt, ii ſane, quæ in ſingulis morbis ægri patiuntur, & quomodo eorum nonnulla ipſis eveniunt, recte conſcripſerunt: & hucusque quidem, quæ quivis etiam medicinæ ignarus recte ſcribere potuerit, ſi probe ex unoquoque ægro, quæ patiatur, intellexerit. At quæcunque medicum non referente ægro prædixiſſe oportuit, ea magna ex parte prætermiſſa ſunt, alia in aliis, nonnullaque ad conjecturalem cognitionem valde accommodata. Cum vero ad cognitionem conjecturalem referatur, quomodo ſingula curare oporteat, in iis multo aliter, quam illi differuerint, ſentio.*

Quin etiam ex his aliisque, quæ in ejus monumentis occurrunt, hic itidem præſagiendi inventor habetur; quæ ſane res in dubium revocari nequit, ſi ut Galenus teſtatur, ille ex omnibus primus urinarum ſignificationes conſideravit (3). Fuerunt autem ante Hippocratem proculdubio medici, qui conjectura veriſimili ſæpe aſſequi noverunt, ubi æger erat vel vita vel morbo ceſſurus: ſed hæc ei non ſatisfecit ſcientia; cognoſcere enim adhæc voluit, quo die talis mutatio contingeret, tum quo auxilio liber, vel quo vitio oppreſſus futurus erat ægrotus. Atque profecto huic ſcientiæ medicina Hippocratis magna ex parte innititur, & qua ſine ſtare nequit. Nemo enim commodam

(3) Lib. I. de Criſ.

modam victus rationem febricitanti præcipiet, ſi ignarus eſt, quamdiu febris inhærebit, neque detrahere poterit a cibo paulo ante judicationes, ſi earum acceſſiones prævidere neſcit. Præſentire quoque oportet medicum, quod genus excretionis natura ad expellendum vitium moliatur; aliter ducere qua natura vergit, plane non intelliget.

Ad prorſus autem condendam, vel a primis rudimentis extruendam, adeo ſubtilem præſagiendi diſciplinam; atque ex hac deinde artificioſam maxime medendi methodum conficiendam, multis experimentis ut adjutus fuerit, neceſſe eſt: Inter quæ naturam nulla arte ſollicitari, ſed ipſi ſoli relinqui expedivit: nam inveniendum erat primum, quemadmodum natura ſponte morbos tollit; ſed quomodo id ſciri poteſt, ubi ars ſimul aliquid moverit? ex motu enim naturæ & artis naſcitur novus in corpore motus, ex duobus compoſitus.

Ut effectus plane diverſos ab eadem curatione excitari videamus, unde fit niſi a differentia actionis naturæ? atque porro, ubi inter Febres ſanguis detrahitur, vel vomitus educitur, vel alvus purgatur, vel alia quæque medicina, inſignem mutationem in corpore efficiens, adhibetur; qui proferre poſſumus certitudine aliquâ, priore experientia non edocti, quæ accidiſſent, ſi talis curatio non fuerat?

Ex eo genere obſervationum habeo illas, quæ in libro primo & tertio de morbis vulgaribus exarantur: nam in iis inſignis quæque mutatio inter paſſiones eveniens diligenter annotatur; atque in ſingularium ægrotantium hiſtoriis, quæ acciderunt ægris ad conjecturam utilia, exponuntur omnia, prout in dies alia aliis ſucceſſerunt. Remediorum vero mentio rariſſimè occurrit, eaque magna ex parte leviſſima ſunt; neque plura, quam quæ enarravit (ut dicam quæ ſentio) præter victum idoneum, præbuiſſe Hippocratem credo. Cibus profectò opportunè datus inter optima Febris eſt remedia. Itaque neque hæc veteris medicinæ particula, ut mera *θανάτȣ μελέτη*, ab Aſclepiade irrideri meruit: præſertim cùm ex eâ, evacuatione ſingulâ artificiali utendi in morbis acutis opportunitas, non valde prius intellecta, neque temerè aliunde haurienda, populorum omnium ſeculorum beneficio quæratur.

Scio autem, quòd Galenus & viri longe doctiſſimi medicinæ parentem hos ægrotantes ſecundum regulas, in aliis ex ejus voluminibus propoſitas, curaſſe contendant. Hi ſuam opinionem hujusmodi argumentis defendunt (4). Haud dubium eſt, quin Hippocrates inſignia remedia adverſus ea vitia,

 qui-

(4) Comment. 3. ad Epidem.

quibus plures horum conflictati ſunt, adhiberi noverit; quoniam in aliis libris iſta propoſuerit; igitur hos ægrotantes iis valde deſideratis caruiſſe arbitrari minimè æquum eſt. Certiſſimum quidem eſt, quòd varia remediorum genera, & iis optimam utendi rationem alibi præceperit: ſed nil obſtat, quo minus ex hac ipſâ materiâ (obſervationes dico de quibus ſermo eſt) ſua medendi præcepta hauſerit, conjecturâ hinc ductâ, quod conveniret aſſequens, & deinde uſu explorans.

Ex hiſtoriâ quoque probabile eſt, Hippocratem, cùm junior fuerit medicus, eas obſervationes cepiſſe: nam is, vita defunctis parentibus, medicinâ & aliis ſcientiis valde imbutus, peregrinationes ſuſcepit, ut copiam exercendæ medicinæ haberet; in iis totam Græciam & exteras etiam regiones inviſit, & ubique medicinam faciens inclaruit; primùm quidem in Theſſalia, relictâ patriâ commoratus eſt (5). Cæterum in eâ regione & Thraciâ fere factæ erant obſervationes, quæ in libris germanis de morbis vulgaribus referuntur.

Porrò, admodum credibile eſt, quòd non toties in his obſervaſſet Febres per ſanguinis profuſionem, ſponte ſuâ accedentem, ſolvi, ſi vena ſecta fuiſſet, ubicunque Febris

(5) Soran. hiſtor. de vita Hippocrat.

bris vehemens erat, & ætas vigens, & vires validæ. Id tamen ipſe imperat; ſed indignum prorſus eſt viro honeſto id aliis conſulere, in re tam ſeriâ, quod in ſimili caſu, is ut optimum non arriperet. Præceptum itaque illud adhuc ignoraviſſe Hippocratem, concludere fas erit.

At pro Galeni ſententiâ inſuper urgetur, quòd Hippocrates ipſe diſertè doceat medicamenta ægrotis, quorum hiſtoriam in his libris exaravit, propinata aliquando fuiſſe, licet qualia ſint, non oſtenderit; nempe ægroto nono, in libro tertio, & quinto in ſectione ſecunda ejuſdem libri. In prioris hiſtoria ſcriptum eſt ὠφελέειν ȣ̓κ ἔτι ἠδύνατο, id eſt, Fœſio Interprete, *non amplius quicquam juvare poterat;* quod ſanè intelligatur tam de naturæ præſidiis, quam de artis adminiculis. Sic enim ſanguinis e naribus curſum in præcordiorum inflammatione κάρτα ὠφελέειν dicit (6); nec rara eſt hæc ejus dictionis ſignificatio. Eam vero ſententiam aliter vertit Valeſius; utique, *remedio non locus erat.* Altera hæc hiſtoria eſt. „Calvum in Lariſſa „ex femore dextro dolor derepente occupa„vit, nihilque adhibitis remediis eſt profe„ctum. Græcè τῶν δε προσφερομένων ȣ̓δὲν ὠφέλει. προσφέρειν (ut author Fœſius eſt in œconomia) propriè quidem de ciborum oblatione dici-

(6) In prognoſtico, (38).

dicitur, & iis, quæ in alimentum cedunt; ſæpe tamen eâ dictione externa præſidia intelliguntur; & ſubinde etiam omne genus medicinæ. Cæterùm, quandoquidem ad ſedandos omnigenos dolores, protinus inter initia, fotibus uti conſueverit Hippocrates, huic ægro externa auxilia primo die fruſtra admota fuiſſe, hæc verba notare poſſunt. Huic itaque argumento non multum vis ineſſe videtur.

Abſurdum verò eſt, vel ipſo confitente Galeno (7), quod acres medicinas, & magnas mutationes cientia remedia occultaret Hippocrates, cùm leviſſima religioſè oſtenderit. Quis credat, quòd is, qui ſtillam modò ſanguinis e naribus exeuntem vel clyſterem infuſum, vel glandem injectam, vel fotum adhibitum annotare haud neglexit; largam ſanguinis detractionem, vel validam alvi purgationem, ſilentio ſæpenumerò præteriret? atque idem omnia e corpore exeuntia, indolem, copiam, tempus, ſedulo patefacit.

Ad evitandam hanc difficultatem, dictum eſt, quòd hæc ſcripta ad præſagiendi artem tantummodo pertineant. Sed neque præſagitioni inſervire poſſunt ægrotantium hiſtoriæ, modo curationes medicæ non aperiantur. Si enim valida remedia clam adhibita erant,

(7) Comment. 31. ad Epid.

erant, neſcimus, quæ ab iis factæ ſunt mutationes, inſignes autem ea effeciſſe haud incertum eſt. Igitur in aliis febricitantibus eadem accidentia ſibi invicem ſuccedere, ubi eadem medicinæ vis defuerit, fruſtra expectabimus, & eo turpius fallemur, quo inſignior fuerit curationis virtus.

Ex his autem obſervationibus, in quibus nil celatur, quod proferri utile erat, intelligamus quâ ſerie, nil cogente arte, vel exteris, accidentia inter Febres ſe invicem excipiunt; atque quibus viis natura ſeipſam ſponte ab his morbis liberat. Ex illo fonte fluit præſagiendi facultas, ex hoc vero medendi ars. Hæc eſt ſincera Hippocratis diſciplina, quæ examen ſeculorum integra ſuſtinuit, & vera undique nullo ævo mutata facie apparuit. Provoco ad doctiſſimum Boerhaave, cujus en judicium (8).

„Excutite Graios, cognoſcite Romanos, „verſate Arabes, repetitam & confirmatam „ubique invenietis doctrinam Hippocratis. „Ex his enim, quorum ad nos memoria per„venit, Diocles Caryſtius, Aretæus Cap„padox, Ruffus Epheſius, Aetius, Oriba„ſius, & alii, quicquid habent eximii, illi „debent. Romani, quos inter Celſus excel„lit & Plinius, Hippocratem numinis loco „habent, ad ejus effata ut ad oracula confu„giunt.

(8) In Oratione de commend. ſtud. Hip.

„giunt. Arabum optimi purum putum de„ſcribunt Galenum, qui ubi verus, totus „Hippocraticus eſt. Inter recentiores de „medicinæ uſu ſcriptores, paucos ſi ulli ve„terum perfectionem attigiſſe dolendum. „Unum eximium habeo Thomam Sydenham, Angliæ lumen, artis Phœbum: quem „quoties contemplor, occurrit animo vera „Hippocratici viri ſpecies: de cujus erga „rempublicam medicam meritis nunquam „ita magnifice dicam, quin ejus id ſit ſupe„ratura dignitas". His ſi quid adjungere licet, addam, eum propiùs calcando divini Parentis in curationibus veſtigia, ad tantam in domandis morbis acutis felicitatem perveniſſe.

Cæterùm ob cultum Hippocraticæ curationis neglectum, magis quam ullam aliam cauſam, accidiſſe videtur; quòd licèt humani corporis compages & facultates longe melius intellectæ fuerint, & morborum abditæ cauſæ altius inveſtigatæ, & medicamentorum copia plurimum aucta, & eorum vires novis experimentis exploratæ; nihilominus tamen, rei medicæ, in tollendis morbis acutis, utilitas, a temporibus usque Hippocratis haud increvit, ſi modo non fuerit imminuta.

His præfatis ad exponandas hiſtorias & curationes Febrium ex præceptionibus divini Senis accedam.

INDEX.

INDEX
COMMENTARIORUM.

Comment. I.

De Febre, & ejus Differentiis. Pag. 1

Comment. II.

De Coctione & Cruditate, atque aliis Notis cum Salutis tum Exitii. p. 3

Comment. III.

De Judicationibus, earumque Adventu præſentiendo. p. 12

Comment. IV.

De Evacuatione & Abſceſſu criticis. p. 20

Comment. V.

De Victus Ratione in Morbis acutis. p. 35

Comment. VI.

De Sanguinis Detractione. p. 50

Com-

COMMENT. VII.

De Alvi Dejectione, & Vomitu. Pag. 64

COMMENT. VIII.

De Sputorum Rejectione. De Cura item adverſus Pulmonum & Lateris Inflammationem. p. 118

COMMENT. IX.

De Morbi Derivatione per Urinæ Ductus. p. 125

COMMENT. X.

De Sudorum Evocatione. p. 127

COMMENT. XI.

De Curatione Abſceſſus critici. p. 144

COMMENT. XII.

De Veſicantibus. p. 154

COM-

COMMENTARIUS
PRIMUS.
De Febre & ejus Differentiis.

FEBRIS ab Hippocrate πυρ & πυρετὸς etiam nominatur. Id genus morbi ex calore ægrotanti moleſto, & medenti manu admotâ ejus corpori percepto, æſtimabatur. De arteriarum autem naturali motu ante Herophilum vix multum ſolliciti erant Medici: is clarus Praxagoræ diſcipulus, qui tempore Ptolomæi Lagi Alexandriæ floruit, doctrinam de pulſibus arti ſignorum adjecit: hanc deinde ampliſſimè tractavit Archigenes, ſed perfecit denuò Galenus. Per hos potiſſimum viros cognitio pulſuum nobis increvit (1).

Ex Febribus autem aliæ ſic deſinunt, ut ex toto ſequatur integritas, antequam altera acceſſio incipiat. Intermittentes ideo dictæ ſunt; quarum alia quotidiana, alia tertiana, alia quartana eſt; ex his aliæ componuntur; aliæ admodum incertis horis repetunt; quaedam ſed rarius

(1) Galen. lib. de Pulſ. Different.

rius longiori intervallo, ut Quintanæ, &c. redeunt (2).

Aliæ vero Febres aliquantulum quidem minuuntur, ſed inhærent tamen, donec novus motus fiat; aliæ vix quicquam, aut nil remittunt; utraſque Febres continuas appellat Hippocrates, Poſteriores in continuas & continentes diviſerunt.

Febres continuæ, quæ intra quatuor dies finiuntur, ſummè acutæ; intra ſeptem dies, exactè acutæ; intra quatuordecem, ſimpliciter acutæ ſunt: harum autem terminus ad viceſimum diem haud raròextenditur; poſt hunc diem Febres vehementiam, ſi aliquamdiu non remiſerint, ut plurimum deponunt, & jam inter lentas habendæ ſunt. (3)

Diſtinguuntur quoque Febres ex occaſione unde concitatæ ſunt; ut Febris ex repletione, &c. tum ex materia efficiente, ut Febris a bile, &c. tum etiam ex accidente quodam inſigniori concomitante; ut alia ſit ardens, alia ſingultiens, alia λειπυρία alia ἀσσώδης & innumera ſanè nomina, hac ratione, Febribus impoſita ſunt. De nominibus vero non admodum ſollicitus erat Medicinæ Parens; & Cnidiis quidem vitio dat, quòd paſſionum nominibus nimis inhæſerint; (4) ipſe autem animum ad vehementiam Febris, vires ægrotantis, & inclinationem morbi præ cæteris attendebat. Cæterùm notandum eſt, quòd Febres, quæ ex inflammatis locis oriuntur, ut phrenitis, peripneumonia, pleuritis, hepatitis, aliæque, à ſede affectâ nomen obtinent.

(2) Hip. Epidem. 1. ſect. 3.
(3) Lib. de Prænot. & Aphor. 23. ſect. 2.
(4) Lib. de Victus rat. in acutis, ſub initio.

COM-

COMMENTARIUS SECUNDUS.

De Coctione & Cruditate, atque aliis Notis cum Salutis tum Exitii.

In quaque vero Febre, quæ à Medicis dicuntur ſtadia, vel tempora, conſiderare oportet. Hæc quatuor ſunt; Principium utique, Incrementum, Status & Inclinatio (1). Omnia ex præceptis Hippocratis in Principio cruda & mitiora ſunt; ſed hæc dierum numero non limitantur, itaque nec Principium, primum igitur morbi ſtadium erit, donec ſigna coctionis vel exitii compareant. A Principio autem increſcit, dum graviores dolores, acceſſionesque veniunt; hæque & antequam proximæ revertuntur, & poſtea deſinunt; conſiſtit autem, cùm jam acceſſio proximam æquaverit, ſed non excederit; & dolores & acceſſiones leniores inclinare docent. Ubi Febris continens ſit, accidentia ingraveſcentia morbum increſcentem, miteſcentia vero inclinantem indicant (2). Galenus vero in morbis, qui tuti ſunt, perfectum Statum adeſſe noluit, antequam ſigna abſolutæ coctionis viſa fuerint (3). Status quidem apud Hippocratem, nunc exactam Concoctionem, nunc ſummam Febris vehementiam ſignificat. In notandis ſignis Coctionis, & Cruditatis multus eſt Hippocrates, atque ex iis præcipuè inſtituta & præſagiendi & curandi hauſit. Quamobrem

(1) Galen. de Criſ. lib. 1. (2) Celſus. (3) De Criſ. lib. 1. cap. 18.

rem Antiquorum de his ſententiam benè penitus eruere expedit.

Igitur cibi & potiones in ventriculum ingeſta, antequam attenuata, diſſoluta, & confecta ſint, cruda exiſtunt; cùm autem ſubacta fuerint, & contemperata, Concoctio in primis viis peracta eſt. Humor vero ille lacteſcens, qui ibi loci perfectus eſt, in venas exinde delatus, venarum ſucco diſſimilis eſt; itaque in alterâ corporis officinâ crudus ducitur; cum autem intra venas elaboratus ſanguinis naturam omnino induerit, non ampliùs crudus, ſed jam maturus ſive coctus eſt. Atque non modo id, quod imperfectum, & haud ſubactum eſt, crudum appellaſſe Hippocratem video, ſed quodcunque à ſanorum conditione in alienam declinat. Ineſt in homine (inquit ille) & amarum, & ſalſum, & dulce, & acidum, & acerbum, & inſipidum, aliaque ſexcenta, quæ pro copiâ & viribus varias habent facultates, & hæc quidem mixtione & mutua inter ſe contemperatione, neque cernuntur, neque quemquam moleſtia afficiunt; at ubi horum quicquam ſecretum fuerit, & per ſe extiterit, tunc & conſpicuum fit, & hominem moleſtiâ afficit (4). Utique in gravedine curſus fit humoris tenuis & acris per nares; vel fluxiones irruunt in oculos; ex cujusvis humorum acrimoniâ, partes ſubjectæ mordentur, & dolent; ardor vero, ſummaque inflammatio tam diu detinent, dum concocta fuerit fluxio, & craſſior evaſerit. Quinetiam, quæ in fauces feruntur, ex quibus raucedines, anginæ, eryſipelata, & pulmonum inflammationes, hæc omnia primum ſalſa, humida,

(4) In lib. de priſca Medicina. (13)

mida, & acria demittunt, & in his morbi confirmantur; at vero ubi craſſiora & magis coƈta fuerint, omnemque acrimoniam depoſuerint, tum jam & Febres, & quæ moleſtiâ afficiebant, deſinunt. Concoquuntur vero, ubi mutua fuerit permixtio, contemperatio & quaſi Coƈtio. Hæc ille (5) in ſecundâ igitur valetudine, tam quæ foras excernuntur, quam quæ intus retinentur, optime coƈta ſunt. In adverſa autem, quo proprius eadem omni notâ ſanis accedunt, eo minus ab optimâ concoƈtione diſtant. Ex contrariis vero Cruditas æſtimatur. Cum itaque Cruditas aliqua inſignis ſubſit, aliter ſe habet corpus atque conſuevit, & eo pejus afficitur quo cruditas major. Cæterum in Febribus notæ Coƈtionis & Cruditatis imprimis ex Alvi Dejeƈtionibus, & Sputis, ſed omnium maximè ex Urinis, deſumptæ ſunt. Hi enim morbi affeƈtiones venarum habentur, & Urina nil aliud quam quoddam ſanguinis colamentum eſt, eoque haud dubiâ fide ejusdem diſpoſitionem, nullo interveniente duƈtuum urinæ vitio, indicare poteſt. In hoc genere excrementi, ſubſtantia, color, & contenta fere ſpeƈtari conſueverunt. Laudatiſſima eſt Urina, quæ tales habet notas, quales in optimâ valetudine habere ſolet: Ea mane reddita, poſt perfeƈtam ciborum concoƈtionem, ſubſtantiâ eſt mediocris, colore ſubruffa, in quâ id, quod ſubſidet, læve, album & æquale eſt; ſedimentum quidem copioſiùs decidit, dum chylus intra venas conficitur, parciùs verò ubi confeƈtus eſt; ſed color per inediam intenditur, & quo diutius homo à potu & cibo contineatur, eò magis ruffus is erit. Exercitia, & quæ motum ſangui-

(5) In lib. de priſca Medicina. (15) & (16)

ſanguinis multum ſanis accelerant, & colorem & ſedimentum augent. Ad hæc vitæ ſtudium, ætates, temperamenta, cœlum, anni tempora, aliquam differentiam inducunt. Itaque & inter Febres acutas urinæ magis ruffæ, & materia inhærens copioſior, quam in ſanitate, ſperantur. Cæterum ex crudis urinis alia ſpecies turbida ferè redditur, & mox ſedimentum deponit; alia turbida perſtat; alia tenuis profluit, poſt intervallum turbatur, & nil demittit. Prima ſpecies melior, procedere enim coctionem teſtatur; ultima vix admodum incipere; media quidem mediæ virtutis eſt; omnes ſubſtantiam cruditates ſunt. Colorem vere quod ſpectat, urina aquea omnium crudiſſima eſt, inter quam & ſubruffam plurimi gradus intercedunt; ſicut ſubruffam inter & nigrantem, ita ut quo quævis ſubruffæ abſimilior, eo longiùs a concoctâ diſtat. Urina colore probabilis in qua nil neque innatat, neque ſubſidet, colorem cocta erit, cætera vero cruda. Quae aquea eſt inter Febres acutas, inſaniam ſignificat. Quæ autem tenuis & ſubruffâ effluere diu perſtat, in Febre difficili naturam vix ad concoctionem poſſe ſufficere, ſed morbo tuto abſceſſum, futurum indicat. Si nubeculæ innatarint leves, albæ, æquales, fere cocta erit, præſertim ſi in imum deferantur: Si rubrum læve & æquale in ruffâ ſubſiderit, longior erit morbus, at ſecurus; quæ modo cocta eſt modo cruda longi & difficilis affectus eſt. Si vero farinoſa, ſquammoſa, furfurea, nigra, livida, lotio inhæreſcant, vel pellicula pinguis, tenuis inſtar araneorum inſideat, gravis morbi periculum eſt. Farinoſa utique magnum calorem & colliquantem ſignificant, pinguedines etiam innatantes morbum colliquantem,

tem, furfuracea & ſquammoſa firmas partes deterſas, nigra humorum gangrænam; niſi mulier ex retentione menſtruorum ægrotaverit; urina nigra quo craſſior eo exitioſor, ſi craſſa ſit, & prorſus nigra, lethalis morbi certiſſimum ſignum eſt. Refert etiam qualis æger, & quis morbus ſit; pueris enim, & juvenibus ex repletione & deſidiâ febricitantibus, urina vix probe cocta æſtimanda eſt, antequam plurimum laudabile in ea ſubſidet; ſi quid autem probabile ſuſpenditur, vel innatat, ætate conſiſtentibus, ex inediâ & laboribus duris febricitantibus, bonum præſagit judicium; aquoſa urina pueris peſſima, nigra viris (6). In Febribus ictericis, bilioſis, eryſipelatoſis exquiſitis, & putridis nonnullis æſtivis, urina plerumque tenuis croceaque ad judicium ferè usque redditur; levis nubecula in his coctionis indicium eſt: nonnumquam ſed rariùs turbida viſitur, ſi quid autem in eâ ſubſidet, id ſubviride, flavum, aut fuſcum eſſe ſolet, nusquam vero album (7). Hoc genus Febrium a Febribus inflammantibus, in quibus ſedimentum album imprimis ſperatur, longe diverſum eſt. In his utique cruor denſatur, rubra pars augetur, & pellicula glutinoſa ſive coriacea detracto ſanguini ſupernè inhæret: In illis autem funditur, diſſolvitur, vix concreſcit, & aliquando magnâ ex parte in tenuem ichoroſumque humorem convertitur. In Febribus lentis pituitoſis urina pallida eſt, quæque ſub incremento morbi ſæpe plurimum ſedimenti craſſi, divulſi,

A 4 aſperi,

(6) Hip. Prænot. (40) Prænot coac. (210) De judicat. (54) Galen. De Criſ.

(7) De Gorter. exercit. de ſite. Wintringham Comment. noſolog. in conſtitut. An. 1719.

aſperi, coloris dilutioris vel albidi deponit, circa ſtatum victrice natura materia ſubſidens parcior, ſed magis cocta, eſſe ſolet; aliquando ubi æger in malis eſt, diluta & tenuis permanet (8). Porro in peripneumonia lenta, vix aliquid urina præſagit: adeo ut ea ſatis ſana, etiam inſtante pernicie, haud raro in his videatur (9). Denique cùm natura Febris materiam per alias vias educat, obſervatur aliquando, modo excreta vel abſceſſus critica in cæteris ſecundum rationem prodierint, quod paſſio inclinaverit, imo quieverit, antequam urina concocta fuit. Id maxime fit in Febribus, quæ per abſceſſus ad cutem judicantur, deinde quæ per alvi dejectiones, deinde quæ per ſputa. Si urina prorſus ſiſtitur, vel clam elabitur, ſummum vitæ diſcrimen ſubeſt.

Ventrem autem probe concoxiſſe intelligimus, ſi is neque citior, neque tardior eſt, quam ſanitate fuit; ſi Malagmata copia iis convenientia, quæ aſſumuntur, reddit; eaque fulva, & mollia, & figurata, & æqualia, & non valde olentia ſunt. Alvus igitur, quæ inter morbos acutos ita ſe habet, maxime laudabitur. At liquida alvi egeſtio ex uſu eſt, ſi neque ſtridet, (*ſtridet quidem ubi tenuis valde & copioſa eſt*) neque ex brevibus intervallis excernitur (10). Dejectiones è contra, aut majore aut minore copia quam par eſt, aut valde tenues, aut exſuccæ, aut argilloſæ, aut ex viridi pallidæ, aut impermiſtæ, malam concoctionem in primis viis

(8) Hollerius in lib. 2. de morb. intern cap. de Feb. ex cruditate.

(9) Boerhaave cap. de peripneumon. lent.

(10) Prænot. (39) & (40).

viis arguunt. Cæterum non modo ciborum, & inferioris ventris recrementa per alvum ſecedunt, ſed a toto corpore ſordes aliquoties in adverſa valetudine hac viâ expurgantur. Siquidem innovation biliosa, & mucoſa alvi profluvia, inflammationes circa internas corporis ſedes, & abſceſſus purulentos, & Febres acutas aliquando ſolvunt. (Notare forſan haud ineptum erit, quod Veteres excreta quæque dixerunt bilioſa, ubi flavo colore penitus tincta erant.) Dejectiones vero tenuiſſimæ ſinceré bilioſæ, ſpumantes, pingues, fætentes, cruentæ non criticæ, torminoſæ, aut quæ frequenter ad ſedem proritant, aut copiâ vires affligunt, vehementer malæ ſunt. Pejus eſt, ſi venter quoque inſcio deſcendit. Peſſimum, ſi is nigris lividisque præſertim morbo extenuatis defluit: Hi enim, ut plurimum, poſtridie moriuntur (11).

In pectoris morbis Sputa maximè reſpicere oportet. Optimè concoctum habetur Sputum, ſi id læve, album, unius coloris eſt, & probato puri æmulum; hujuſmodi ſputum tuſſim facilè ſequi, ſat cito, & conſpicuâ copiâ extundi, expedit. Cæterum inter initia morbi, ſputum concoctum haud expectandum eſt, ſi enim miſtum ſit ruffo quodam & ſanguine, dummodo ſtatim excreetur, & ſenſim in concoctum convertatur; vel ſi in ſecundâ periodo tandem appareat, modo ſigna coctionis habeat, morbi tuti & brevioris indicium eſt. Si ſputum in primis periodis non fuit, malum eſt; pejus autem ſi principio benè prodeat, & circa judicationes ſiſtatur. Sputum album glutinoſum laborioſè exantlatum, inutile eſt; ſincerè flavum, & ſanguineum, poſt primos dies, crudi morbi eſt, & nil juvat; tenue, ſalſum,

 ſpumans,

(11) Hip. de Prænot. Aphor. 23. ſect. 4. Coac. Præſag. (216).

ſpumans, quod multam tuſſim movet, ſed ferè eludit, ſi diu durat, periculoſum eſt; nigrum tamen & id, quod intra pulmones ob ſummam viſciditatem circa ſtatum retinetur, ſtrepitum in pectore & ſtrangulationem inducens, peſſimum eſt. Pulmonum & laterum morbi, in quibus nil expuitur, graviſſimi ſunt (12).

Hiſce ſignis etiamſi multùm fidebat Hippocrates, nihilominus tamen omnia diligenter rimatus eſt, quæ ægrotum ſpe conſolari, vel metu terrere debeant. Pauca proponam. Bona ſperare oportet, ſi æger vultu ferè ſano conſpicitur, ſi cubat ipſo ſitu, cui ſanus aſſuevit, vel ut ipſi viſum eſt, ſi ex facili ſpirat; ſi a dolore vacuus eſt, ſi mente valet, & alacriter fert morbum, ſi interdiu vigilat, noctu dormit, ſi potiones non valdè deſiderat neque cibos recuſat, ſi præcordia æqualia, mollia, & plena ſunt, ſi corpus undique molle & æquabiliter tepidum eſt. Hæc omnia ſi fuerint vel pleraque, morbus ſecurus eſt, & brevi finietur. Contraria autem exitium denuntiant. Utique ubi vultus, protinus inter initia morbi ſine cauſâ evidenti, emarcet, aut alieno colore inficitur; ubi oculi, nares, aures, lingua, ullâ facultate aut ſpecie pervertuntur; ubi æger ſupinus cubat, vel ad pedes ſubinde delabitur, vel morbum ægrè fert & loco quieſcere nequit; ubi difficulter ſpirat; ubi dolor vehemens & continuus caput, vel viſcus aliquod nobilius habet; ubi vigilia aut ſopor vehementer premit, aut mens ultra modum alienatur; ubi inexplebile potionum deſiderium eſt, ſummum vero ciborum faſtidium; ubi præcordia inæqualia, dura, elevata aut retracta ſunt; ubi

(12) Hip. Prænot. (41) & Coac. Præſag. (178).

ubi interiora exæſtuant, dum exteriora frigent. Quædam autem ex his minime mala ſunt, ſi coctioni ſuccedant. Sed his non immoror, cum Hippocrates, in Libro de Prænotionibus, omnia bona & mala in acutis morbis ſigna diligenter conſecutus ſit, & ſingulorum vires diſertè expoſuerit. Siquidem bona non omnia pariter bona ſunt, neque mala mala; nonnullis enim alia pejora ſunt, alia peſſima exiſtunt. In genere autem, omnis mutatio a conſuetis in optima valetudine malum eſt, & quo inſignior mutatio eo vehementius malum, & quo mutata magis vitæ neceſſària fuerint, eo certiùs denunciatur exitium. Qui vero ſuperfuturos ex morbo (inquit Medicorum Princeps) & morituros, eosque, quibus pluribus diebus, & quibus paucioribus, perſeverabit morbus, recte prænoſcere volet; is intelligentià comprehenſam omnium ſignorum doctrinam æſtimare debet, & eorum vires inter ſe collatas, ratione expendere, velut ſcriptum eſt; cùm in aliis tùm in urinis & ſputis. Alibi tamen & id monet, quòd prædictiones in morbis acutis non ſemper tutæ ſint. Ob tantam enim varietatem corporum, judice Celſo, certæ notæ futuri paſſionis exitus dari nequeunt, & id certè noſtram artem conjecturalem efficit, ratio autem conjecturæ talis eſt, ut cùm ſæpius aliquando reſponderit, interdum tamen fallat nos; neque id evitare humana poteſt imbecillitas (13).

(13) Celſus lib. 2, cap. 6. In hoc libro is omnia, quæ ad præſagiendi artem pertinent, explicare, potiſſimum ex authoritate Hippocratis, ſuſcepit.

COM-

COMMENTARIUS TERTIUS.

De Judicationibus, earumque Adventu præſentiendo.

In morbis acutis ſæpe mutatio ſubita fit, vel in ſanitatem, vel mortem. In hanc mutationem ducit utplurimum vehemens perturbatio; ſiquidem ante eam accidunt graviſſimi capitis dolores, vertigines, deliria, ſomni graviores, aurium ſonitus, ſurditas, oculorum rubores, caligines, falſique iis objecti ſplendores, lacrymæ ſine voluntate, labii inferioris agitatio, totius corporis tremor, ſpirandi ſubita difficultas, præcordiorum intenſio, retractio, mentis turbationes, anxietas, jactationes, æſtus intolerabilis. Hanc igitur morbi particulam *κρίσιν* Græci dixerunt, & perturbatio & evacuatio quæ circa *κρίσιν* accidunt, criticæ ideo appellantur. Ubi iis ſanitas integra ſuccedit, judicatio perfecta æſtimatur; ſin vero morbus brevi ſedatur, paulo poſt reverſurus, vel vehementiam inſigniter remittit, imperfecta; quinetiam, ubi ſine magna quadam perturbatione, & lentis gradibus, repetitisque evacuationibus ægri Febribus abſolvuntur, hos quoque judicatos in hiſtoriis ægrotorum pronunciat Hippocrates. Galenus autem ſubitas tantum morborum cum perturbatione mutationes, proprie judicia appellari vult (1).

Quum autem judicia frequentiora, & eorum indicia firmiora, certis diebus contingere viſerentur,

(1) Lib. 2. de Criſ. ſub initio.

rentur, veteres eos criticos nominaverunt. Ex his ſumma poteſtas ſeptenariis data fuit, deinde quaternariis: ſeptenarii habentur ſeptimus, decimus quartus, & viceſimus: ſecundus enim ſeptenarius cum octavo die incipit; tertius cum decimo quarto. Singuli vero ſeptenarii medius dies & ultimus quaternarii ſunt. Quartus igitur, ſeptimus, undecimus, decimus quartus, decimus ſeptimus, & viceſimus tales exiſtunt. Hiſce diebus, acutos morbos inſultus facere obſervavit Hippocrates: periodos igitur Febrium acutarum per quatuor dies ad 20 usque diem terminari præcipit (2). Quivis autem quaternarius, qui medius ſui ſeptenarii eſt, index & contemplatorius dicitur; eo quod judicatio proximo ſeptenario futura, quaternario præcedenti ſignificatur. Hac ratione, dies morbi quartus ſeptimi index eſt, undecimus ſimiliter decimi quarti, & decimus ſeptimus viceſimi; 7, 14 & 20 & quaternarii & ſeptenarii exiſtunt (3). Ex reliquis diebus, pares dicti, minus efficaces ad diſcernendas Febres æſtimantur, adeo ut ſi his Febris deſiiſſet, recidiva metuebatur, ſi modo Febres paribus diebus non movebantur; nam quæ acceſſiones paribus diebus habent, paribus etiam judicantur (4); ſed hæ magnâ ex parte difficiliores ſunt iis, quae diebus imparibus intenduntur. Ex criticis vero diebus maxime valere 7 cenſuit Galenus, deinde 14, deinde 9, deinde 20; hi primum ordinem conſtituunt: ſecundum vero 17, 4, 3, 18, cæterum ex omnibus morbi diebus ſextus peſſimæ eſt famæ, quæ enim in

(2) Lib. Prænot. (44)

(3) Aph. 24. ſect. 2.

(4) Lib. 1. Morbor. Vulgar. (964) (965) Aphor. 36. ſect. 4.

in eo eveniunt judicia, exitioſa ſunt, vel ſaltem perdifficilia. Morbos octavo, & decimo quieſcentes, repetere iſte expectavit (5) In ſecundo autem vicenario, ſeptenarii ſoli vi judicandi pollent, & elapſo eo ſpatio tantum vicenarii.

Atqui ſuſpicatur Cornelius Celſus, quod veteres in his aliquam fidem numeris Pythagoricis, admodum celebribus adhibuerint (6). Febres vero tertianas legitimas, ſi duas acceſſiones reſpicias, alternis diebus moveri conſtanti lege cernimus. Ad iſtarum etiam normam ardentes moveri obſervantur. Sed neque tertianæ eâdem horâ repetunt, nam quædam aliquot horas citius, quædam aliquot tardius corripiunt, adeo ut decurſu paucorum circuituum, vel feſtinando, vel tardando, quæ imparibus diebus a principio occupabant, in progreſſu paribus accedent. Hæ quidem in deterius ruentes ſæpiſſime ſolitam horam prævertunt; è contrà, dum leniuntur, tardius magnâ ex parte redeunt. Si in Febribus igitur continuis, quæ alternis diebus exacerbantur more tertianarum, in tantum ſe præcipitaverit acceſſio, ut citra ſeptimum diem jam parem occupaverit, malum ſubeſſe morbum ſuſpicari licet. Vix enim ſperare oportet, ſpatia liberaliora, protinus inter initia morbi, eouſque extendi poſſe, ut acceſſio, utique, quæ die quinto expectabatur, ad ſextum usque tardaverit: etenim ſatis eſt, ſi eam indolem, circa finem ſecundi ſeptenarii, morbus indicaverit; ita ut ſeptima acceſſio, quæ decimo tertio die adfutura eſſet (ſaltem ſi ſolitâ horâ alternis diebus mota fuerat) jam usque in decimum quartum delata

(5) Lib. 1. de Dieb. decretor.
(6) Lib. 2. cap. 4.

lata ſit. In Febribus porro intermittentibus, materia acceſſionem Febrilem concitans, intra ipſum inſultum concoquitur, & in ipſo ejus impetu ejicitur. In Febribus vero continuis, materia Febrilem æſtum concitans, longius, ut concoquatur, ſpatium requirit; jam autem exire parata, nullum tempus aptius inveniri poteſt, quo exturbari expedit, quam in vigore acceſſionis, quoniam ſub eo omnes humores longe maximo impetu per vaſa projiciantur. Igitur ubi in Febribus acceſſiones alternis diebus eveniunt; & inſultus vehementiores alternis acceſſionibus, ſive quaternariis; & vehementiſſimi alternis quaternariis ſeptenarii maxime critici erunt; deinde quaternarii; deinde dies impares. Ex his ratio quoque petenda eſt, cur Febres, quæ paribus diebus moventur, iisdem quoque judicantur. Cæterum ſive hæc veriſimilia videntur, ſive non; hiſtoriæ ægrotorum in libro 1 & 3 Epidem. evincunt, quod judicationes & earum ſigna criticis diebus ſæpius apparere ſoleant. Apud nos ſane, ob diverſitatem vel cœli, vel vitæ ſtudii, vel victus rationis, vel potiſſimum medicarum curationum, Febres non adeo ſolenniter, ut olim in Græcia, atque Romæ alternis diebus intenduntur. Quæ vero alternis diebus vix quicquid moventur, vim dierum criticorum ſæpe eludunt: atque lentæ plurimum ſpernunt. In his quidem motus febriles, ſi qui ſunt, magis quam dies criticos reſpicere expedit.

Præter hæc quidem, altera facultas dierum criticorum proponenda eſt: utique Febres, quæ revertuntur poſt imperfectam judicationem, iterum ingruere die aliquo ex criticis conſueverunt. Et nos obſervamus Febres quartanas Cort. Peruvian. inhibitas, recidivas fieri eo tempore, quo

quo acceſſio futura eſſet, etiamſi Febres per ſeptimanas ceſſaverint. Qui plura de his ſcire efflagitat, Galeni libros de dieb. decretor. & commentarios ad libros epid. 1 & 3 perlegat; in quibus notante doctiſſimo viro J. Freind, id ſibi unicè propoſuiſſe videtur, ut dierum criticorum doctrinam traderet, & hac potiſſimum authoritate confirmaret. Id monuiſſe prius debuerim, ubi aliqua judicationis pars in diem criticum inciderit, ei ipſi quidem, modo indicium die contemplatorio comparuerit, tribuenda eſt judicatio.

Sequitur ut explicentur notæ, quibus tempus judicii præſagitur. In his igitur conſideranda eſt conſtitutio morborum vulgarium, tum cœlum, tum anni tempus, tum ægrotantis ætas, temperamentum, & conſuetudo, tum motus febriles, ſed omnium maxime cruditatis & coctionis ſigna (7).

Si ægrotus ætate & viribus viget, ſi tempus eſt æſtivum, vel ei proximum & ſecundum rationem conſtitutum, ſi regio non frigida, corpusque bene compactum & floridum, ſi Febres vehementes, ſi notæ coctionis primo die adſunt, & cætera accidentia ſecuriſſima; huic quidem morbus ante quartum diem, vel ipſo quarto, feliciter diſcernetur. Quo enim plura ex his concurrunt, eo certior res eſt. Sic Pericles qui ſecundo die urinas concoqui incipientes, & tertio probe concoctas reddidit, quarto judicatione abſolutus erat (8). (Ne fallat hic moneo ſedimentum probabile, quod aliquando circa initium

(7) Hip. Aphor. 2. ſect. 1. Galen. de Criſ. lib. 3. & de Dieb. Decret. lib. 1.

(8) Ægrot. ſext. ſect. 2. lib. 3. Epid.

initium Febrium in urina conſpicitur: ſiquidem hoc coctionis cibi, & non materiæ febrilis indicium eſt: quod à cocto cibo provenit, cito evaneſcit; quod à cocto morbo, in dies maturatur.) Si vero nulla coctionis nota neque primo die neque ſecundo fuerit; is, licet omnia reliqua ſine culpa ſint, primo circuitu, vel, quod idem eſt, intra quartum diem, non liberabitur. Si quarto die urina illi concoctionem ſignificet, ſeptimo judicatio ſperatur (9); præſertim ſi Febres more tertianarum intendantur; ubi neque medicus, neque ægrotus, neque adſtantes, neque externa, quid impediverint: & id quidem in omnibus ſedulo æſtimandum eſt; cum enim horum quodvis naturam interturbaverit, judicatio nullâ certitudine præſagiri poteſt (10). Si autem concoctio non fuerit ante ſeptimum diem, judicatio ante undecimum non erit; neque in ipſo, niſi calor multus, inſultus vehemens, & motus imparibus diebus acceſſerint. Notæ autem coctionis, ſi undecimo in excretis apparuerint, vel accidentia mala morbi attenuata fuerint, (materiam hæc intra venas coctam eſſe indicant, quamvis non prodierit,) judicium decimo quarto futurum prædicunt. In ſecundo hoc ſeptenario, inſignis mutatio plurimùm contingit; atque æſtus vehementes rarius ultra hunc circuitum continuantur; quamobrem terminum Febrium acutarum aliquando Hippocrates 14 diem ſtatuit. Attamen ſi is dies morbum non decreverit, ſed coctionis indicia prove-

(9) Aphor. 71. ſect. 4.

(10) Galen. de Dieb. Decretor. lib. 1.

moverit, decimus ſeptimus finiet. Leviſſima tandem ſignificatio decimo ſeptimo die, fidiſſimum teſtimonium judicationis circa viceſimum & unum præbet.

In exitioſis autem affectionibus, mala ſigna apparentia, ægrotantibus perniciem præſagiunt, eadem prorſus ratione, ac in ſecuris liberationem bona. Maxime igitur malignæ, & quæ cum graviſſimis ſignis invadunt Febres, quarto vel prius interficiunt (11); quod ægro ex phrenitide laboranti accidebat (12). Sin vero inter Febres exquiſitè acutas, lethale ſignum quarto die inciderit, ſeptimo mortem expectare oportet; niſi irruens ante deſtinatum tempus inſultus ægrotum ſexto interemerit. Atque haud levi ſanè conjecturâ, ipſa mortis hora præſentiri poteſt: utique ſi in morbo exitioſo incipiente acceſſione, æger vehementer refrigeratus fuerit, & vix tandem recaluerit; ſi unà difficillimè & multo roncho ſpiraverit; ſi animo defectus, ſi ſopore obrutus, vel tale quid terrificum paſſus fuerit, neque cæteris acceſſionis temporibus tam gravia tulerit; credibile eſt, quòd inter initia proximæ acceſſionis peribit, præſertim ſi ea criticum diem occupaverit. Si vero acceſſionis initium mitius fuerit, ſtatus vero ob ſummam mentis perturbationem, anxietatem, jactationes, nervorum diſtentiones gravior, is vitam finiet. Ubi hæc circa ſtatum non fuerint, ſed ſudores frigidi inæquales, vel circa faciem & cervices tantum expreſſi,

(11) Hip. Præſag. 44.
(12) Ægrot. 4. ſect. 2. lib. 3. Epid.

expreſſi, ſi mentis impotentia, corporisque reſolutio inclinationem exceperint; mors ſperanda eſt eà horà, qua ad futura acceſſionis inclinatio prævidetur (13).

Cæterum in primis diebus prævideri nequit quo die Febris minus acuta deſitura eſt. At protinus inter initia intelligere licet, quòd morbus longior erit; ubi Febres non admodum acutæ ſint; ubi motus ejus tardiores; ubi acceſſiones non alternis diebus; ubi ægrotus naturâ vel ætate algidus, & corpus laxius, & tumidum; ubi conſtitutio temporis humida, & frigida, diu conſtiterit; ubi morbus omnino crudus perſtet; ubi malæ notæ: quo enim plura ex his unà concurrunt, eo diutius, ſalvâ vitâ, trahi ſolet affectus.

Iſte autem medicus, qui morbos longos à brevibus inter initia diſtinguere non intelligit, neutiquam poterit ægrotantibus rationem victûs commodam, ſaltem ex mente Hippocratis præſcribere.

(13) Galen. de Criſ. lib. 3.

COMMENTARIUS QUARTUS.

De Evacuatione & Abſceſſu criticis.

MORBI acuti, ſponte ſuâ, ſine aliquâ Evacuatione inſigni, aut ſedimento multo in urinâ laudabili, aut abſceſſu quodam critico, haud judicantur. Hujusmodi igitur affectus, ex authoritate Hippocratis, die critico diſcernuntur, fluore ſanguinis; ſudore multo; urinâ colorem probabili, quæ optimum ſedimentum habet, & confertim effunditur; ventre mucoſa, bilioſa, vel aliquando ſanguine notata derepentè effundenti; vomitione quoque, & Abſceſſu juſto (1). Inflammationes autem, quæ circa pulmonem & coſtas ſunt, ſputis coctis & facile rejectis, potiſſimum ſolvuntur. Talia ſputa inflammationes quoque circa fauces, & glandulas ad aures ſitas, ſedare valent (2).

Speciem vero judicii in univerſum præmonſtrabunt tempeſtas præſens, conſtitutio epidemica, ægri temperamentum, morbi genus, maxime vero naturæ motus, & humorum inclinatio. Acutiores Febres finire ſolent evacuationes, longiores abſceſſus (3).

(1) Lib. de Vict. Rat. in Morb. acut. 403. Coac. Præſag. 140. 142.

(2) Prænot. 40. 45. Coac. Præſag. 179. 176. 151.

(3) Galen. de Criſ. lib. 3.

Sanguinis profluvio maximè opportuna ſunt, ex temporibus Ver aut Æſtas (4); ex conſtitutionibus ſicca & calida, præſertim ſi frigidam exceperit; ex ætatibus, quæ intra annum 18 & 35 eſt; tum habitus corporis ſtrictior, temperamentum ſanguineum, Febres acutiſſimæ, quæ in primis circuitibus judicantur; ſuper hæc, ſi pulſus arteriarum vehemens eſt; ſi calor, præſertim circà ſuperiora, exæſtuans; ſi urinæ poſt ſigna coctionis ex improviſo tenues; ſi alvus tarda (5); inclinantes autem verſus ſuperiora humores ſcimus; ſi caput vehementer & continuo dolet; ſi vertigine rotatur; ſi aures male audiunt, aut ſono implentur; ſi arteriæ circa tempora vehementius agitari ſentiuntur; ſi collum cum rubore intumeſcit; ſi vultus conſpicuus eſt; ſi oculi inflammantur, vel iis falſi ſplendores objiciuntur; ſi lacrymæ præter voluntatem ſtillant; ſi nares pruriunt; ſi præcordia ſine dolore intenduntur; ſi ſpirandi difficultas derepente incidit; hiſce, vel magna ex parte, ita accidentibus ſuperveniet protinus ſanguinis curſus per nares (6). Si vero ad ea, quæ ſanguinis profuſionem oſtendunt, ſed absque notis inclinationis ad ſuperiora, gravitas, tenſio, calor, dolor & pulſatio circa lumbos accedant; ſanguis per inferiora potius erumpet, utique aut per ora venarum ſanguinem fundere ſolita, aut fœminis per naturalia (7). Sin minùs ſanguis exitum per

 infe-

(4) Aph. 20. ſect. 3.
(5) Prænot. Coac. Præſag. Epidem. lib. 1. ſect. 2. Galen. lib. 3. de Criſ.
(6) Prænot. Prædict. lib. 1. 79 80. Epid. lib. 1. 948. Coac. Præſag. 138. 143. 145. 151. &c.
(7) Prædict. lib. 1. 78. Coac. P. 168.

inferiora intentans, verſus ſuperiora recurrerit, & dolor & cætera lumbos reliquerint, & caput brevi poſtea obſederint, copioſum profluvium per nares denotatur (8). Poſt ſanguinis profuſionem, alvus emolliri, & cutis humectari conſuevit (9).

Vomitus autem, mediam ætatem, naturâ bilioſos, ſub exitu æſtatis calidæ, & initio autumni, magis exercet; ſi Febres, more tertianarum, horrore & tremore incipiunt, & in his ad eorum normam exacerbantur. Gravati vero ventriculi, & inſtantis vomitus notæ ſunt. Dolor capitis acer, ejusdem gravitas, præcordiorum moleſtiæ, inquietudo, anxietas, extremorum frigus, pulſus parvi duri & inæquales, oris ventriculi morſus, tenues ſputationes, nauſea, labii inferioris tremor (10). Quæ vomitu educuntur, non admodum craſſa, aut multa eſſe debent, atque ex bile & pituitâ penitùs permixtis conſtare.

Sudores æſtate magis expectare oportet, præſertim ubi imbres frequentes, ſicut in vere decidunt (11), ſi cutis laxior eſt, ſi incipientibus acceſſionibus delirium accidit, deſinentibus vero calor multus ad pedes deſcendit, cutisque madeſcit. Sed proprium fere hujus evacuationis indicium, pulſus plenus mollis undoſus eſt. Adhæc ſi alvus paulò ante judicationem contrahi-

(8) Prædict. lib. 1. 79. Coac. Præſag 168.

(9) Aphor 27. ſect. 4.

(10) Prænot. 41. 46 Coac. Præſag. 556. & lib. 1. Epid. Galen. lib. 3. de Criſ.

(11) Aphor. 6. ſect. 3.

trahitur; & circa eam urina retinetur, & acceſſio incipit cum quadam horripilatione, ſudores plurimum intra eam confertim a toto corpore calidi diffluent. Quod quidem optimum eſt (12).

Atque alvi fluor præſentitur, ſi anni conſtitutio humida fuerit, ſi autumnus ſit, ſi Febres, quæ vulgo graſſantur, per alvum ſibi exitum quærant, ſicut in conſtitut. 3. Lib. 1. Epidem. Ætate provectioribus accidit; ſi in Febribus bilioſis, inanes vomendi conatus, abſque tamen vomitu ſub initio præceſſerint: ſi judicatione jam cognitâ inſtare, nullum ſignum eſt alterius cujusvis evacuationis criticæ, urinaque parcius fluit. Ventris autem borborygmi, ſtrepitus, elevatio, tormina, lumborum dolor, alvi exturbationem præcedunt (13). Probatur critica egeſtio, ſi liquida, non tenuis eſt, & ſpeciem purulenti fæcibus alvinis permixti præbet. Cruenti quid cum ea in malis non eſt.

Per has potiſſimum excretiones expurgantur Febres, quæ intra 14 dies, celeriter, & cum multa perturbatione judicantur. Per ſputa autem & urinas ſenſim plerumque extenuantur; ex his, quæ à morbi principio in dies matureſcunt, & diebus criticis concocta prodeunt, ſecuriſſime morbum ſolvunt (14).

Perfectam judicationem promittunt ſigna probæ coctionis prægreſſa; his enim viſis, quantæcunque perturbationes inſultui die critico ſuperveniant, nil metuendum eſt; in procinctu enim ſtat evacuatio, per notas ſuas præſentienda,

(12) Galen. lib. 3. de Criſ. Hip. de Prænot.
(13) Aphor. 73. ſect. 4. Coac. Præſag. 138.
(14) Lib. de Criſ. 53.

da, quæ ægrotantem a morbo prorſus vindicabit. Si excreta copia juſtâ & indole laudabili confertim efferantur, eaque judicando morbo apta ſint; ſicut juvenibus, & Febri vehementi, ſanguinis profluvium; Febri bilioſæ, vomitus, &c. Cæterum ut judicium in die critico & impetu acceſſionis fiat, expetendum eſt. Judicationem perfectam fuiſſe ſcimus, ſi nocte ſubſequente ſomnus placidus ſit; ſi calor naturalem vix excedat; ſi lingua mollis & humida ſit, & ſitis ſedetur, & appetitus redeat, & mens vigeat: denique ſi pulſus & excrementa à ſanis haud multum abludant. Inter bonas judicationes, & poſt integras nil movere oportet, neque turbare; ſiquidem in his per naturam prorſus à morbo liberabuntur ægri.

Sin vero natura laceſſita movere, & expellere morbi materiam moliatur, antequam ea concocta ſit; vel ubi tempus non idoneum fuerit; vel per vias minus aptas vel parciore copiâ; integra judicatio raro ſuccedet: nam morbus aut non quieſcit, aut ſi quieverit, ob relictam intus materiam iterum redit (15). Id genus judicationum omnino frequentiſſimum eſt, tot fere hujus rei exempla ſunt apud Hippocratem, quot ſunt in lib. 1 & 3 Epid. ægrotorum hiſtoriæ abſolutorum. Unum tamen proponam (16). „Anaxionem invaſit Febris acuta, cum dolore „continuo dextri lateris, & tuſſi primis diebus „ſiccâ, ſiti cruciabatur & inſomniâ, urinæ pro„be coloratæ erant, copioſæ & tenues. Sexto „die

(15) Lib 2. Epid. ſect. 1. Aphor. 27. ſect 2. Prænot 45. De Judicat 54. Galen. lib. de Criſ. 4.

(16) Ægrot. 8. ſect. 2. lib. Epid. 3.

„die deliravit. Fotus nil profecerunt. Septi-„mo, moleſtè habuit; nam & Febris intende-„batur, neque dolores remiſerant, & tuſſes in-„feſtabant, & difficilis ſpiratio inerat. Octavo, „ſectâ in cubito venâ multus ſanguis, prout de-„buit, effluxit". Hæc prima evacuatio arte quidem facta, ſed ad naturæ normam directa, cùm ea ad expellendam Febrem vehementem, & ſolvendum lateris dolorem in primo ſeptenario nil molita eſt. Igitur ex V. S. minuebatur affectus. Sic pergit hiſtoria. „Dolores certe „remiſerunt, verùm tuſſes ſiccæ perſeverarunt. „Undecimo, leniores fuerunt Febres, paucus „ſudor circa caput prodiit, etiamnum tuſſes te-„nebant, & humeſcere incepit morbus. Deci-„mo ſeptimo die cœpit pauca & concocta ex-„puere: allevatus eſt". Hæc altera evacuatio opportuna erat morbo; ſputa undecimo pro-dire inceperunt, a quo ad decimum ſeptimum ſenſim maturata fuiſſe videntur, quo die cocta prodeuntia tuſſim & ſpirandi difficultatem doloresque reſiduos, ut veriſimile eſt, allevarunt. „Viceſimo, ſudore oborto, à Febre liber fuit". Hæc tertia evacuatio numeratur, quæ & die cri-tico, poſt ſputa 17 cocta, & uti fieri debet, pro-dibat. Nulla adhuc facta eſt urinæ mentio niſi hiſtoriæ initio, ſi quæ mutatio in eâ apparuerat declaraſſet Hippocrates; cruda igitur fuit urina, atque ſputa licet indole proba, idoneâ tamen co-piâ, non excreta ſunt. „A judicatione vero „melius habuit; ſitis autem vexabat, nec pro-„bæ pulmonis expurgationes erant. Septimo „viceſimo, rediit Febris; tuſſivit, concocta „plurima eduxit; in urinis alba multa ſubſide-„bant; ſine ſiti erat, bene ſpirans". Signa igi-

 tur

tur perfectæ coctionis, & in urinis, & in ſputis huic, primo circuitu ſecundi vicenarii, tandem apparuerunt. Sed urinæ & ſputa concocta ex criticis excretis ſunt. Atque in hoc ægroto ſitim & ſpirandi difficultatem, quæ hucusque reliquiis inhæſerant, diſcernebant. „Triceſimo „quarto, ſudore per totum corpus diffuſo, Fe„bre liberatus & prorſus eſt judicatione abſolu„tus". Facile quidem prædici poterat, quod Febris ultra alterum hunc circuitum ſecundi vicenarii non excurreret; cum præcedente ſeptenario coctio perfecta & in urinis & ſputis viſebatur. Huic ægroto, omnes naturæ motus diebus criticis facti ſunt, & quævis evacuatio à vitio demebat; adeo ut detruncatus per eas plane eſſe morbus, antequam eam ſudor 34 deleverit. Itaque per omnes Evacuationes morbum judicatum eſſe dicimus. Atque idem omnino judicium de Evacuationibus commodis, ſibi invicem ſuccedentibus, tulit Hippocrates, utique in ſtatu tertio lib. 8. Epid. ita ſcribit. Ex quatuor maxime ſignis ſervabantur ægri, quibus aut ex naribus ſanguis bene profluxiſſet; aut urina multa, in qua quod ſubſidet copioſum eſſet, & laudabile; quique per alvum turbulenta, bilioſa, tempeſtive demitterent, aut in difficultatem inteſtinorum dilaberentur. Multis autem uſu venit, ut non ab uno ex deſcriptis ſignis judicarentur, ſed ut plurimum per omnia decurrerent, & gravius ſe habere viderentur; ſed hi omnes, quibus iſta contigerunt, incolumes evaſerunt.

Cum autem de excretionibus ſermo ſit, non alienum videtur, de iis Evacuationibus hic agere, quæ inter initia & incrementa morborum, aliquando

quando ſponte adveniunt. Igitur qualescunque hoc tempore fiunt, pro certo Febres non finient. Nonnulla vero accidentia Febribus haud raro ſuperveniunt, quæ & Febribus vires addunt, & ægrotos excruciant, & paſſionis ſpatium extendunt, & periculum augent; nec tamen Febribus individua ſunt, quamvis à Febre aliquando concitentur: nam ea nonnunquam extenuat, vel removet commoda Evacuatio ſponte ſuâ nata, antequam Febris ipſa ſtatum attigerit. Hac ratione dolores vehementes capitis, vertigines, æſtus, & id genus alia, liberalis ſanguinis à naribus curſus, prorſus inter initia accidens, frequentèr compeſcit. Sic ſtomachi faſtidium, oris ventriculi morſus, pectoris oppreſſionem, anxietates, &c educendo corruptos humores circa ventriculum ſtabulantes, ſolvit aliquando vomitus; & id quidem ſecundo die, Nicodemo ægroto decimo in ſect. 2. lib. 3. Epidem. contingebat. Lariſſæ autem, tertio die, & ſequentibus dejectiones liquidæ commode prodibant. Haud inepte itaque præcepta de ſudoribus hiſce Evacuationibus accommodari poſſe videntur: nempe ſudores optimi quidem per omnes morbos acutos ſunt, qui diebus judicatoriis contingunt, & penitus à Febre liberant. Boni vero qui toto corpore oriuntur, faciuntque ut æger morbum facilius ferat. Bona etiam & quævis alia evacuatio eſt, ſi vitio apta ſit atque indole & copiâ laudabili efferatur, & morbum extenuet. Atque hæc, credo, Aphoriſmus quoque præcipit. In perturbationibus alvi, & vomitibus ſponte eveuientibus, & vaſorum evacuationibus, ſi qualia oportet excerni excernantur, confert, & leviter ferunt. Sin minus, vice verſâ

ſa (17). Itaque Evacuationes ſi bene ferat æger, ſi ab iis levetur; neque olim plectatur, indicium eſt, quod talia educantur, quæ educi oportet. In his quoque inſpicere oportet regionem, & tempus, & ætatem, & morbos in quibus convenit, aut non: iis enim, quæ ſecundùm rationem levant, magis credere fas eſt, aliis minus.

Inter mali morbi ſigna ducenda ſunt omnia excreta, ſi non ſecundùm rationem eveniunt; ſi à vitio nil demunt, multo pejus eſt, ſi morbo addunt; omnium vero peſſimum & exitioſum, ſi indole improba aliis pernicioſis ſignis ſuccedunt, & circa ſtatum erumpunt. Ob vitium ſummum humorum, aut vehementiam Febris, aut corporis exolutionem, talia magnâ ex parte prodeunt; ea nunc copia minore ſunt, quam ut quicquam prodeſſe poſſint, nunc majore quam vires ferant, nunc ſpecie vitioſa exiſtunt; ex his ſunt ſtillæ ſanguinis nigri; tum ſudores inæquales frigidi, tum dejectiones bilioſæ, acres, æruginoſæ, nigræ; & id genus vomitus, qualia in ſtatu peſtilentiali frequentiſſimè viſa ſunt, & Hippocrates inter malas judicationes ſæpe meminit.

Abſceſſus autem eas Febres judicare conſueverunt, quæ tardius moventur, diutius excurrunt, & notas ſecuritatis oſtentant; ubi neque ſputa facilè excreentur, neque ſudores opportunè moveantur, neque ſanguinis profuſio, neque alvi dejectiones, neque vomitus criticè ſuccedant. Hi ut plurimum, hyeme Febribus ſuperveniunt, minusque recedunt, & juniores 35. annis exercent. Citius quidem ad ſuperiora erum-

(17) Aph. 2. ſect. 1.

erumpunt, & plerumque citra diem viceſimum. In morbo igitur abſceſſui opportuno, ſi hypochondria mollia & indolentia fuerint, & ſpirandi difficultas ex improviſo irruat, moxque iterum deſerat, deinde gravitas, & dolor capitis, & ſopor ſuccedat; fore abſceſſum circa aures credibile eſt. Poſt viceſimum vero diem, ſi calor circa præcordia movetur, vel ad extremos artus ſubtus deſcendit; ſi gravitas, & tenſio & dolor aut inflammatio articulum, aut aliam aliquam particulam circa partes inferiores occupat, ibi abſceſſûs erit ſedes. Ubi doluerit quis aliqua parte, priusquam minus valebat, morbus magnâ ex parte ad locum dolentem abſcendit; uti iis contigit, qui in Perintho tuſſi & anginâ laboraverunt. Quin etiam quibus a morbis exurgentibus dolores circa manus vel pedes contingunt, & inhærent, ibi loci futuri ſunt abſceſſus (18).

Is autem abſceſſus ſalutaris eſt, qui longius à partibus nobilioribus erumpit, aut ſedem minus utilem corporis occupat; ſi confertim aſſurgit; ſi adeo inſignis eſt, ut paſſionis magnitudini par ſit; neque tamen major quam vires ferant; ſi erumpens ſedat morbum, vel ſaltem levat; ſi loco conſiſtit; ubi inflammatio exquiſita eſt; ſi in pus laudabile cito convertitur; ubi Eryſipelas, ſi non temerè recedit; ubi articulis inſederit, vehementes dolores inferens, ſi non deſerit, antequam materia vitioſa digeratur.

In

(18) Prænot. 43. 44. 45. Aphoriſm. 31. 32. 33. ſect. 4. Coac. Præſag. de Humoribus, 49.

In his etiam conſiderandus eſt ſingularis conſenſus, qui inter quasdam corporis ſedes obſervatus eſt. Facilius utique abſcedunt morbi in partes, quæ è directo ſunt, quam in oppoſitas. In ſpirationis difficultate abſceſſus ad crura utiliſſimi ſunt. Tuſſes per tumores teſtium inſigniter ſolvuntur. Inſaniam varices in ano multùm dolentes tollunt. Ex peſſimâ anginæ ſpecie fere tantum evadunt ii, quibus rubor circa pectus aut cervicem effuſus eſt. Bilioſum alvi profluvium ſurditas judicat. Comatoſos in Febribus ardentibus affectus finiunt tubercula juxta aures extantia. Inſignem pectoris oppreſſionem cum ſubitâ virium ruinâ, mentisque languore, ab afflictione præcordiorum non inflammatoria natam, efflorescentes circa cutem papulæ præ cæteris abſceſſibus ſedant.

Si vero natura fruſtra excitare abſceſſum conatur, vel ſi excitatus iterum ſine ratione recurrit, neque urina multa craſſa, neque evacuatio aliqua apta, & inſignis, neque alius abſceſſus exceperit; id fere exitioſum eſt. Bonum autem eſt, ſi abſceſſus ad inferiora aſſurgens, abſceſſum circa caput vel proxime ſuperioribus ſedaverit. Abſceſſus commodiſſimè ſolviſſe viſum eſt, urinam multam craſſam ſubſidentem, ſanguinis profluvium, alvum bilioſam purulentam, & ſputa multa probata. Ita tamen ut ſanguinis per nares curſus, maximum ſit incipientis abſceſſus præſidium; præcipue ſi inter Febres acutas erumpit, & partes ſuperiores occupat. Sputa vero eos, qui circa pectus, vel fauces exiſtunt, ſive inflammatos, ſive jam ſuppuratos, exhauriunt. Per dejectiones, & urinas probatas,

tas, omnes ſubducuntur; ſed cum urina efferri, qui circa hypochondria aut ventrem non ſunt, tutiſſimum eſt (19).

Inter abſceſſus etiam criticos omnino recenſenda ſunt, quæ circa cutem erumpunt exanthemata. De his ita Hippocrates. Quinetiam bona ſunt, quæ in cutem abſcedunt foràs erumpentia tubercula, velut putreſcentes aut purulenti quidam tumores, aut ulcus, aut reliquæ hujus generis in cute efflorеſcentes puſtulæ deſquamatio, glabratio, capillorum defluvium, vitiligines, ſcabies, aliaque hujusmodi; quæ conferto & repentino quodam confluxu, non autem dimidiato & ſemirepente abſcedunt. — & ſi non indignè morbi excretioni reſpondeant (20). Quasdam hic boni abſceſſus conditiones more ſuo præterit Coüs ſenex. Iisdem utique legibus exanthemata critica, ac reliqui abſceſſus aſtringuntur; debent enim opportunè exire, quod quidem in altera conſtitutione die quarto fit, in altera ſeptimo, in altera ſerius, ſed plerumque die aliquo ex criticis. Si vero citius vel tardiùs compareant, quam indoli morbi & conſtitutionis ſolenne eſt, malum. Malum quoque eſt, ſi intra brevius intervallum recedant, quam id genus papularum conſuevit. Confert autem ut puſtulæ faſtidiatæ ſint, ut vibices rubeſcant. Si exanthemata prodeuntia mala accidentia extenuaverint, vitium ab interioribus ad exte-

(19) Lib. de Humor. 51. De Judicat. 55. Aphor. 74. ſect. 4. lib. 1. Epidem. 956. Coac. Præſag. 151. lib. 1. Epidem. Conſtit. 3. Galen. lib. 3. de Criſ.

(20) Lib. 2. Epidem. 1002.

exteriora vertitur. Si nil boni præſtiterint, malos ſuccos tam intima quam extima obſidere veriſimile eſt. Si funeſta accidentia auxerint, à morbo natura vincitur. Petechiæ nigræ humorum gangrænam, malum ægrè ſuperabile, denuntiant. Febres benignæ vix unquam petechias extrudunt. Cæterum ipſæ ſolæ petechiæ magnis affectibus ſolvendis raro ſufficiunt, aliquando tamen id viſum eſt: ſiquidem é Febre petechiali, quæ Mutinæ ab anno 1693 ad 96 vulgaris fuit, quicunque evaſerunt, per petechiarum circa ſeptimum diem apparitionem, & earundem per totum corpus ad extremos usque artus expanſionem, & earundem lentam evaneſcentiam ſine ullo ſenſibili humorum excretione, ſalutem aſſecuti ſunt (21). Sed frequentiſſimè alterum quoddam præſidium deſideratur. In quadam conſtitutione papulas per totum corpus erumpentes lethale fuiſſe obſervavit Hippocrates, ſi purulentus abſceſſus non accedebat; maximè autem circa aures is erupit (22). Galenus ſcribit, quòd qui ex peſtilentia in ſuo tempore graſſante evaſuri erant, eos ante papularum eruptionem evacuabat alvi profluvium, & unà etiam aliquando vomitus (23); ſed alvi fluor, authore Hoffmanno, tempeſtivè petechiis ſuperveniens Febres ſolvit (24). Judicium autem ſecuriſſimum fit, ſi critico quodam die poſt commodam papularum eruptionem ſudores dif-

(21) Ramazzini Conſtitut. Epidem. Annor. 1693, &c.

(22) Coac. Præſag. 133.

(23) Lib. 5. Method. cap. 12.

(24) Med. Rat. Syſt. tom. 4 ſect. cap. 10 & 11 Ballon. Conſil. Med. lib. 2. Comment. ad Hiſtor. 5.

diffluant, & urina coƈta reddatur; uti in petechiali conſtitutione ſemel atque iterum Coloniæ comparente Donckers expertus eſt.

Bilis quoque circa cutem ſeptimo die, vel quovis alio poſt hunc critico effuſa, ſi modo dextrum hypochondrium non induruerit, feliciter, & interdum ſine alio abſceſſu aut excretione, affeƈtum tollit (25).

Ubi autem quævis materia critice abſcedens intempeſtive recedat, frequenter admodum nobiliores partes obſidet; ſi caput, naſcitur repente phrenitis, vel ſopor, vel alia capitis paſſio; ſi pulmones, ſpirandi difficultas; ſi præcordia, eorum dolor, intentio, æſtus vel oppreſſio, anguſtiæ ad ſcrobiculum cordis, ſingultus, vomitiones, animi marcor, anxietas, pulſus parvi frequentes, vel alia quædam hujusmodi accidentia: Quæ omnia, ex recurrente abſceſſu orta, inter fatalia plurimum ſunt.

Senioribus 30 annis abſceſſus purulenti minus frequenter criticé erumpunt; ſed Febres talibus diutius inhærentes haud raro in intermittentes convertuntur. Itaque ſi incertis horis Febres hiſce redeunt id expeƈtare oportet; ſi inſtat hyems, ſi friget ætas, intermittens potiſſimum erit Quartana (26).

Haƈtenus explicare conatus ſum, unde morbis acutis tanta nominum diverſitas; quæ cruditatem & coƈtionem denotant; quæ ſecuritatem, periculum, & exitium oſtendunt; quæ judi-

(25) Aphor. 62. ſeƈt. 4. De Judication. 53.

(26) Lib. de Prænot. 45.

judicii tempus præmonſtrant; qualia auxilia ad depellendas Febres natura accommodavit; quæ vitia ſingula evacuatio ſedare apta eſt: denique ex Evacuationibus & abſceſſibus non criticis, quæ utilia, quæ mala, quæ perniciofa ſunt. Proxime ad curationes morborum acutorum veniam. In his nemo inficias ibit, quin ars ad naturæ normam dirigenda eſt. Scire itaque debet artifex, quando materia turgeat, vel exire parata ſit; tum qua inclinet; tum per quas vias commodiſſime detrahatur: vel ars quidem in evacuando malè naturam imitabitur. Antequam vero dico, in quibus vitiis quæque evacuationis ſpecies per artem commode educi poſſit; haud alienum videtur exponere, quâ ratione febricitantes victu curandi ſunt. Scitu enim id omnino neceſſarium eſt. In hoc præſidio multus eſt Hippocrates, cujus maximam partem inventor exiſtit: & ex præceptione Celſi cibus opportunè datus, optimum eſt Febris medicamentum.

COM-

COMMENTARIUS QUINTUS.

De Victus Ratione in Morbis acutis.

VICTUS autem neque nimis parcus aut tenuis eſſe debet; atque ex altera parte, neque nimis copioſus aut craſſus. In illo enim deficiunt ægri; in hoc obruuntur. Itaque conjectare oportet, & robur & modum morbi cuiuscunque, & naturam & victum ſinguli ægrotantis, non ciborum ſolum, ſed etiam potionum (1).

Victus humidus tenuisque omnibus febricitantibus aptus eſt (2). In hoc vero tres gradus ſunt; eſt utique tenuis, exquiſitè tenuis, & ſummè tenuis. Tenuis autem eſt ptiſana, exquiſitè tenuis ejusdem cremor, ſummè tenuis mulſa, vel quodlibet poculum idoneum. Tot igitur ſpecies victus humidi & tenuis exiſtunt, quot ſunt morborum acutorum quoad celeritatem differentiæ; & in genere quidem altera alteri accommodatur. De facultatibus autem ptiſanæ audiatur Hippocrates. Ptiſana quidem rectè videtur omnibus frumentariis edullis præferri, ſaltem in hiſce morbis acutis, eosque qui eam prætulerunt, laudo: nam & lentorem habet lenem, & continuum, & ſuavem, & lubricum, & mediocritèr humeſcentem, & ſi quid elui debet pro-

(1) Hip. de Ration. Vict. in Morb. Acut. 390.
(2) Aphor. 16. ſect. 1.

probè abluentem; neque aſtringit, neque malam turbationem facit, neque in ventriculo intumeſcit; cibus etiam imbecillus eſt, & facillimè concoquitur (3). Ptiſana autem hac ratione parabatur: ſumebant hordeum optimum cortice exutum, idque lentè at ſatis diù, in aquâ molliſſimâ decoquebant; hordeum fortè eâ quantitate adhibebant, ut poſt coctionem aqua inſtar cremoris lenteſceret, unde ſuccus percolatus cremoris nomen obtinuit. Cæterum hæc materia absque colaturâ, ptiſana & aliquando tota ptiſana dicitur. Non modo autem ſufficit, illam cibi ſpeciem invenire, quæ morbo idonea eſt, eamque per totum ejus decurſum adhibere: ſiquidem Febres, maximam partem, non eâdem vehementiâ à principio ad finem usque inhærent; cum Febres autem vehementiſſimæ ſunt, tunc vel tenuiſſimo victu utendum eſt (4). Circà ſtatum ergo, cùm Febres vehementiſſimæ ſint, tenuiſſimè quidèm cibare oportet, quo vero longius à ſtatu fuerint, eo pleniùs: ſi peracuta talis Febris ſit, ſtatim aderunt vigores; ſtatim igitur in his tenuiſſimus victus præcipiendus eſt; quibus autem in poſterum vigor futurus eſt, his ad illud, & paulò ante illud tempus ſubtrahendus eſt cibus; antea vero plenius alendus eſt æger, ne deficiat (5). In Febribus iis, quæ ſecundùm exquiſitè ardentium normam, ad judicationes usque continuò increſcunt, hæc quidem ſervanda ſunt; in aliis neutiquam: nam univerſa lex eſt, cum Febris vehementior eſt, cibus

(3) De Rat. Vict. 385.
(4) Aph. 8. ſect. 1.
(5) Ibid. Aph. 7.

cibus debet eſſe tenuior; ſed continua Febris quibusdam, ubi incepit, floret, & viget maximè, & graviſſima eſt; circa judicium vero, & ipſo judicio extenuatur. Nonnullis vero lenitèr & latentèr incipit, increſcit autem in dies exacerbaturque; ſed ſub judicium & ipſo judicio abundè emicat. Et eſt, ubi ex moderatis initiis augeſcit & exacerbatur; & ſimul atque vigorem acceperit, ad judicium usque ſub ipſumque judicium, rurſus ſe remittit. Atque hæc in omnem Febrem cadere ſolent. Ex his autem benè ſubductâ ratione victum offerre convenit (6). Porro his, qui per circuitus exacerbantur, nil dare oportet, neque cogere, ſed auferre de appoſitionibus ante acceſſiones; hoc itaque ab initio, per totum morbum ſervandum eſt; ut ſi quando pedes frigeſcere incipiant, quod ſignum inſtantis acceſſionis eſſe ſolet, æger abſtineat; at quum ad pedes poſtea calor deſcenderit, cibum ſumat; inclinat enim jam acceſſio: in Febribus autem continentibus, tempora ſi quæ liberiora ſunt, ea cibo aptiſſima ſunt (7).

Præter hæc quidem contemplanda ſunt ægrotantis ætas, natura, cœlum & conſuetudo; tum anni tempus Febrisque accidentia. Ex ætatibus autem ſenes, ex naturis, qui pituitoſi frigidique ſunt, omnium facillimè jejunium ferunt; difficillime vero pueri, præcipue qui inter eos alacriores ſunt, ex hominibus, qui πεκρόχοιλοι, parte ſupernâ dicuntur, (utique plurimum

(6) Lib. 1. Epid. ſect. 3. 963.

(7) Aphor. 11. ſect. 1. de Rat. Vict. in Acut. Morb. 386-398. 403.

mum bilis amaræ & acris circa ventriculum confluit) calidi etiam & ſtrigiles (8). In vere & hyeme ventres naturâ calidiſſimi ſunt, & ſomni longiſſimi; igitur tunc temporis cibi citiſſimè concoquuntur (9). In æſtate & autumno cibos difficillimè ferunt, ægreque conficiunt (10): hoc verum eſt ſi quidem ex valentiori materia cibus ſit; atqui bilis, hoc tempore, maximè acervatur & acerrima fit, & homines calidiſſimi ſunt; qui vero bilioſi & calidi ſunt, difficillimè inediam ferunt; igitur frequentes cibi in æſtate neceſſarii ſunt, ſed ex imbecillâ materiâ eſſe debent. Ex his quoque facilè patet, quæ victûs ſpecies ſingulo cælo apta nata eſt. Cæterum accidentium inter Febres ratio talis eſt. Quibus cibus ſtatim incluſus eſt, ſi quis, non ſubevacuato illo, ſorbitionem dederit, ſi dolor circa præcordia, aut latus eſt, adaugebit; ſi non adeſt, protinus provocabit; frequentiorque reddetur ſpiritus, quod malum eſt; nam pulmonem exſiccat, fatigatque tum ſeptum transverſum, tum præcordia, tum ventrem imum (11). Iterum ſi cibi plures quam oportet, intus maneant, ſubactique ſunt, & homo non purgatur, & alii cibi ſuperingerantur; corpus, ab humore & priore, & recente repletum, caleſcit, & Febris ex eo homini oboritur: corpus utique impletur, & dum venæ à plenitudine premuntur, & calor & dolor corripiunt, æſtate quidem citius, hyeme tardiùs (12). Præterea, ubi dolor

(8) Aphor. 13. ſect. 1. de Rat. Vict. in Morb. Acut. 389.
(9) Aph 15. ſect. 1.
(10) Ibid. 18.
(11) De Rat Vict. in Morb. Acut. 385. 398.
(12) Lib. 4. de Morb. 504.

lor lateris aſſiduus fuerit, & ſputa non prodierint, ſi ptiſanam, ita ſe habentibus quis dederit, antequam morbum, ſive per venæ ſectionem, ſive per alvi purgationem, extenuaverit, eos trucidabit (13); pulmonum enim morbi eò pleniorem victum requirunt quò ſpiratio liberior & ſputa faciliùs excreentur; & eò tenuiorem, quò ſiccior fuerit affectus, & ſtrangulatio gravior (14). Vehemens quoque vigilia imbecilliores cibos exigit; ſiquidem hoc accidens cum cibos tum potiones cruda & incoctiora reddit (15). Denique ſi Febres anxioſæ ſint, & præcordia intendantur, & ægri loco quieſcere nequeant; nil aliud his exhibebis, quam acetum mulſum aquoſum; neutiquam vero ſorbitiones, donec urina concocta fuerit, vel Febres inclinaverint (16). Alvus autem cita & craſſiores & copioſiores cibos poſtulat (17).

De tempore vero cibis oportuno, in plane contrarias à medicis itur ſententias. Nam quidam ante Hippocratem, initia Febrium abſtinentia excipi voluerunt; alii, ad ſeptimum usque diem, ægros ſuos à cibis continebant: alii ultra judicationes. Poſt Hippocratem Eraſiſtratus cum totâ ejus ſcholâ, ex authoritate præceptoris Chryſippi, inediam ſanguinis detractioni & alvi purgationi ſubſtituit. Deinde, circa medium ſeculi 39, Aſclepiades (celebris ille medicus qui veterum medendi rationem ex magna par-

(13) De Rat. Vict. &c. *386.*
(14) Ibid.
(15) De Rat. Vict. &c. *392.*
(16) Ibid. *399.*
(17) Ibid.

parte mutavit, & Romæ authoritatem & honores medicinæ, antea ſamoſæ, primus omnium conciliavit) ipſo quarto die, cibos ægrotis primùm permiſit. Inſuper his univerſa methodicorum ſecta, idem tempus atque Aſclepiades, aptum cibo judicavit; & poſt quartum diem alternis ſolummodo diebus iisque paribus, cibos præbuerunt *. Doctiſſimus vero commentariorum de veteri medicinâ author D. le Clerc, & is quoque, qui ſcripta Cælii Aureliani aperienda ſuſcepit, Galenum quidem reum erroris agunt, quod quartum diem, & deinde pares omnes a methodicis cibis eſſe deſtinatos enarraverit (18): ſiquidem Cælius ubique ipſo *diatrito*, ſeu tertio juxta ipſos die, cibare præcepit. Stat firma utrinque authoritas: Galenus utique cum methodicis verſatus eſt, & Cælius ex methodicis erat. Soranum quoque ſuæ ſectæ principem vertere profeſſus eſt; neque de verbis dubitari admodum poteſt. Si autem id fiat tertio morbi die, & deinde alternis, id eſt imparibus, neceſſe eſt, ut in ipſis Febrium inſultibus vel ſaltem eo tempore quo ab illis expectabantur, ægrotos ſuos & cibis, & magnis curationibus deſtinarent; quod tamen religioſiſſimè evitare præcipiunt. Igitur hæc ratio vel ſatis eſt, ſententiæ doctiſſimorum virorum evertendæ; ſed methodicis ſibi ipſis conciliandis non valet; ſi vero hi diatriton ſuum a ſecundo die morbi numèrabant, omnis cedit difficultas: atque ſanè ab eo numerabant, modo fides penè Celſum ſit. At Themiſon nuper (ſic ille) non quando cepiſſet

* Celſus de Med. L. 2. C. 4.
(18) Method. Med. lib. 10. cap. 6.

ſet Febris, ſed quando deſiſſet; aut certe levata eſſet, (*ideſt, ſimul atque prima acceſſio inclinaverat*) conſiderabat; & ab illo tempore, expectato die tertio, ſi non acceſſerat Febris, ſtatim; ſi acceſſerat, ubi ea vel deſierat, vel ſi aſſiduè inhærebat, ſi certé ſe inclinaverat, cibum dabat. (Hic Themiſon, vel notum eſt, methodum ſenex invenit.) Aſclepiadi etiam Cornelius, in hac re, ſicut in pleriſque circa curationes conſentit; digeri enim corpus imminuique materiam ſuperantem inediâ primis diebus voluit; & ubi aliqua neceſſitas non impediverit, diem quartum, ad initium cibi aptiſſimum eſſe cenſuit; & poſtea quidem alternis diebus morbum abſtinentiâ oppugnare, & alternis cibo viribus ſubvenire, is etiam author eſt (19).

Contra horum omnium authoritatem graves rationes urget magnus Hippocrates (20) Nempe, omnis ſubita ſuprà modum mutatio, ſive in hæc, ſive in illa, ſanum hominem & valentem lædit; quando ergo magis imbecillum atque ægrotantem: ita ut vitioſa victûs ratio, cum in potu tum in cibo, quæ ſemper ſuiſimilis ſit, omnino ad ſanitatem tutior ſit, quam ſi quis ad aliam meliorem, magnam mutationem facit. Quinetiam magnæ mutationes, in aſſumendo cibos aſſuetos, pariter lædunt; adeo ut, ſi cœnam ſolummodo aſſumere conſueti, prandium devorent, confeſtim ægre ſe habebunt, & toto corpore graves & inhabiles & pigri efficiuntur; quod ſi inſuper cœnaverint, acidum forte eructabunt, & aliquibus venter profluet; quod ſi

(19) De Medic. lib. 2. cap. 4.

(20) In lib. de Rat. Vict. in Morb. Acut. 388.

tèr in die cibis ſaturentur, graviora erunt accidentia. Multi vero ſunt, qui ter in die copioſum cibum facilè ferunt, quòd ita aſſueti ſint. Ex alterâ quoque parte, qui bis in die cibum ſumere conſueverunt, niſi pranſi fuerint, debiles & infirmi ſunt, & ad quodvis opus timidi, & oris ventriculi dolore vexantur; iis etiam ſuſpenſa eſſe viſcera videntur, calidam quoque & nimis ruffam urinam reddunt, & ſtercus exuritur: nonnullis quoque os amareſcit, oculi gravantur, caput dolet, & extrema frigeſcunt (hæc utique notæ ſunt ventriculi bile, vel corrupto quodam humore laceſſiti): ac plurimi non pranſi cœnam vix appetunt; &, ſi cœnaverint, ventriculum gravant, difficiliusque nocte quieſcunt, quam ſi pranſi fuiſſent. Si tam inſignes turbationes, ob dimidiatæ diei victûs à conſuetudine mutationem contingunt, quid fieret? Si quis per totos dies à cibis contineretur, & præcipuè, ſi ex eo derepente ſe iis impleret? & ſi hoc quidem in ſanis, quanta mala Febre acutâ laborantibus, & infirmatis inferuntur? Utique ubi quis primis diebus inedia vaſa exinanierit, & mox quarto aut quinto, cibis infarcierit, præſertìm ubi cibi ex valentiore materiâ fuerint? Præter enim, quod in his mutatione ſubitâ & magnâ bis peccatur, eo tempore ex vaſorum inanitione, in ſorbitiones tranſeunt, quo plerumque ſenſim ex ſorbitionibus, ad vaſorum inanitionem accedere oportet; parcior enim & tenuior victus, ubi Febres vehementiſſimæ ſunt, uti dictum eſt, deſideratur. Propter hanc perperàm victus inſtitutionem, niſi mites fuerint Febres, cruda interdum à capite attrahuntur, à thoracis vero regione bilioſâ

lioſâ, vigiliæque iis accedunt, ob quas non concoquitur morbus, valde triſtes & amarulenti ægrotantes evadunt, & delirio tentantur, & ſplendores falſi oculis objiciuntur, auresque ſono implentur, extrema perfrigeſcunt, urinæ crudæ, ſputa tenuia fiunt, & falſa & ſincera & pauca; ſudores circa cervices exprimuntur, anxietates eos male habent, ſpiritus creber & magnus eſt, & in faucibus eliditur, ſupercilia quodammodo ampliantur, accedunt etiam animi defectiones, & veſtium à pectore rejectiones, & manuum ſubſultus, & interdum tremula labii inferioris agitatio: hæc quidem ſuper concoctionem contingentia judicium inſtans præſagiunt, atqui inter initia Febrium grave delirium. Ex his ſanè pauci evadunt, iique vel abſceſſu, vel ſanguinis per nares curſu, vel puris craſſi excreatione; neque alitèr ſalutem conſequuntur. Cæterum, ubi debilitatis ex inediâ medicus accerſitur, is modico, & tenuiſſimo victu, primo ſuccurrere debet, & deinde quietem inducere, ſenſimque ad eam cibi rationem quam morbus exigit aſcendere.

Igitur cibus ex eâ materiâ, quæ omnibus æſtimatis aptiſſima videtur, ſive ptiſana, ſive ejus ſuccus, ſive potio quædam congrua ſit, ratione conſuetudinis, ſemel, aut bis, vel ſæpius, ipſo primo morbi die, ſi neceſſitas aliqua non impediverit, exhibendus eſt; atque ipſæ horæ, quibus aſſumi conſuevit cibus, ſi modo eo tempore Febres non ſint vehementiores, ei aptiſſimæ ſunt; cum verò per acceſſiones moventur, inclinatâ acceſſione, optima cibandi opportunitas eſt: cæterum inter acceſſiones ſi cibus deſideratur, tenuiſſimâ ſorbitione, potioni-

tionibus non ſufficientibus, æger ſuſtinendus eſt. Primo autem morbi die ſorbitio, neque multa, neque craſſa eſſe debet. Sed ut conſuetudinis cauſa aliquid ingeratur, & ne multa vaſorum inanitio fiat. His autem qui ſemel in die cibum capere conſueverunt, paulatim progrediendo, ſi fieri poteſt, bis (ſi quid adjiciendum videtur), danda eſt (21).

Antequam verò hoc de ſorbitionibus argumentum abſolvam, conſiderandum eſt id, quod movet Lommius: an qui Græcis febricitantibus convenit ex ptiſanâ cibus, noſtratibus etiam ſufficiat? Is enim negat; at Sydenhamus populares noſtros inter Febres ſimpliciter acutas, juſculis avenaceis, & hordeaceis, materiâ neutiquam cremore ptiſanæ valentiori, commodè ſuſtineri poſſe experientiâ comprobavit: ſiquidem regio noſtra frigidior pleniorem victum poſtulat, ſed Anglis natura magis quam Graecis pituitoſa inediam facilius fert. In genere verò paulò plenior diæta exquiſitâ nimis & tenui tutior exiſtit (22).

Potiones præterea, quæ ex vulgari uſu ſunt, ad victus rationem pertinent; harum autem virtutes recenſere utile viſum eſt. Igitur varia vinorum genera ægrotis ſuis conceſſit Hippocrates, ſed aqua ut veriſimile eſt juxta antiquorum mores diluta. De vino alio dulci, alio vinoſo, alio albo, alio nigro, in libro, qui de victu acutorum eſt, agitur (23). Dulce utique ſputa magis

(21) De Rat. Vict. &c. 385.

(22) Aphor. 5. ſect. 1.

(23) 392.

gis educit, faciliusque per alvum tranſit; ſedendæ autem ſiti non commodum eſt, idem flatus etiam circa ventriculum, & inteſtina ſuperiora, excitat, & ſi bilis abundat, præcordia tendit. Vinoſum autem album ad veſicam maximè penetrat, & urinam citat; ad accelerandam ergo urinam hoc utiliſſimum eſt, (has certè facultates Rhenanum & Moſellanum poſſident) atque album aquoſum ſitim lenit, omnium minimè caput petit, præcipuè ſi inodorum, tenuiſſimum & leve ſit. Auſterum denique nigrum, & meracius præſtat, ſi alvus roboranda eſt, & ſiccior reddenda; itaque in alvi fluoribus, & inteſtinorum difficultate, cæteris omnibus palmam præripit. Ubi vero gravatur caput, menſve percellitur, aut ſputum difficiliùs excreatur, aut urina tarda eſt, id genus vini omnino evitandum eſt: atque omne genus capiti nocet, ubi id grave eſt, vel dolet, vel aliquo alio vitio tentatur. Si nihilominus tamen aliquod accidens vinum exigit, album inodorum exhibendum eſt, & inſuper aliquid aquæ ſuperbibendum; hac enim ratione, vini robur caput mentemque minùs feriet. Febres etiam vehementiſſimæ videntur vino minus opportunæ. Prudens autem quis, ex his facile ſciat, quod genus vini, ex iis nobis uſitatis, ubi imbecillitas corporis, vel marcor mentis id deſiderat, ægrotanti ſingulo aptiſſimum ſit.

Ex potionibus quidem, mulſa familiariſſima fuiſſe videtur. Eaque ſimpliciter admiſcendo aquam melli, vel poſt admiſtionem, concoquendo & interim ſpumam auferendo, parabatur. Mulſa cocta pulchrior eſt aſpectu, debilior quoque, & minus alvum movet. Summoperè utilis

lis eſt mulſa, ubi Febres ſorbitiones non admittunt, cæteriſque potionibus præferenda; nutrit quidem magis vino albo, ſi alvum non exturbaverit, & plus ipſo ſitim ſedat. Ea porro mulſa quæ aquoſior eſt, magis pulmonem emollit, ſputum modice educit, atque urinam citat: meracior autem magis alvum movet, & inteſtina deterget; cum vero ſinceras, ſpumantes, bilioſas, & calidas dejectiones civerit, nocet; hæ enim ardorem, & tenſionem circa præcordia minimè ſedant, ſed revera omninò augent, & anxietatem & jactationes addunt; malè etiam adhibetur mulſa, ubi bilis ventriculum laceſſit; ſiquidem in tali caſu præcordia flatibus diſtendit (24).

Mulſæ admixto aceto, id genus potionis fit, quod oxymel dicitur. Hujus tres ſpecies erant, utique acerrimum, parùm acre, & quod ſolummodo acetum ſaperet. Quod quidem valdè acre eſt, nil moderati efficiet ad ſputa quæ non facilè exeunt; nam ſi ea educeret, quæ ſtridulam in faucibus aſperitatem faciunt, & lubricitatem induceret, & veluti guttur dilataret, pulmonem utique leniret, cùm ipſum emolliat; quæ ſi quidem contingerent, magnam utilitatem præſtaret; interdum vero id ſputum minimè educit, ſed magis glutinoſum reddit, noxiamque facit. Maximique ita affecti ſunt, qui cum alioqui pernicioſè habent, neque tuſſire, neque ea, quæ intus retinentur excreare, poſſunt. Ad hoc igitur ægrotantis robur conjicere oportet, & ſi de eo ſpem conceperis, exhibere; & cum dare

(24) *De Vict. Rat. &c. 393.*

dare volueris, perquam tepidum, paulatimque hujusmodi, neque affatim exhibebis. Quod autem parum acre eſt, os quidem & fauces humectat, ſputum educit, & ſitim ſedat, præcordiis & viſceribus ibi contentis eſt benevolum. Nam acetum mellis noxias inhibet, cum, quod in eo bilioſum eſt, corrigat; flatus etiam ſurſum erumpere facit & urinas promovet; inteſtini tamen inferiorem partem plus æquo humentem reddit, & inteſtinorum difficultatem inducit. Interdùm quoque & in acutis morbis obeſt, ſiquidem flatum deorſùm erumpere vetat, quinetiam ſurſum recurrere facit; præter hæc autem aliâs debilitat, et extrema refrigerat. Exiguum autem ejusmodi potum nocte quidem, & jejuno, ante ſorbitionem, propinare convenit, quanquam & longo, poſt ſorbitionem, intervallo, nil vetat bibere. Qui vero ſolo potu, citra ſorbitiones in victûs ratione utuntur, iis hoc uti ſemper, & perpetuò ob id non convenit, & maximè quidem propter inteſtini abraſionem, vel exaſperationem; nam, cum ſtercore ſit vacuum, citius hæc fient, idque accedente vaſorum exinanitione. Poſtea autem, & aqua mulſa vires ſuas amiſerit: ſi tamen multum hujus potûs uſum ad totum morbum conferre poſſe ſperaveris, paulum aceti, ut tantùm agnoſci poſſit, affundere oportet. Ita enim & quæ lædere ſolet, minimè lædet, & proderit quibus prodeſſe opus eſt. Ut autem in ſummâ dicatur, aceti aciditas bilioſis naturis magis convenit, quam melancholicis, his enim acidi ſunt & mordentes circa præcordia humores; amara bilioſa utique diſſolvuntur, & in pituitam tranſeunt, dum ab ipſo efferuntur, nigra vero bilioſa fermentantur, efferuntur,

runtur, & multis partibus augentur; acetum namque nigra evehit. Mulieribus autem, quam viris, acetum longe magis eſt adverſum; nempe cum uterum dolore afficiat: id autem fit, cum gravidis dyſenteriam infert, ex qua fœtum excutiendi periculum eſt (25).

Aquæ autem, præterquam quòd in morbis acutis bibitur, nullum quidem aliud munus habeo, quod conferam. Siquidem neque tuſſim lenit inter pulmonum inflammationes, neque ſputum educit, vel cæteris minùs ſi quis perpetuò aquæ potione utatur. Verùm ſi inter acetum mulſum, & aquam mulſam, exigua aqua ſorbeatur, ſputum educit, propter potuum qualitatis transmutationem. Alioqui neque ſitim ſedat, ſed irritat; ſiquidem bilioſis naturis bilioſa eſt, & præcordiis mala; ſe ipſamque malitia ſuperat, & bilioſiſſima eſt, viresque maxime labefactat, quando vacuis etiam exhibetur. Lienem etiam & hepar ſuccenſum ubi fuerit, auget, intus fluctuat, & innatat. Nempe quòd frigida ſit, & non cocta, tarde quoque permeat, & neque dejectiones, neque urinas movet; non-nihil etiam inſuper lædit, quod natura ſtercoris expers ſit. Quod ſi pedibus etiam dum frigentibus, aliquandò ebibatur, multo magis nocebit ad horum quodcunque tandem inclinaverit. In ejusmodi tamen morbis, ubi vehementem capitis dolorem vel mentis læſionem affore ſuſpicatus fueris, vinoque omninò abſtinendum eſt; tunc aquà utendum, aut vino aquoſo albo dato, poſt illius potionem aquæ exiguum ſuperbibendum (26). Alia-

(25) De Rat. Vict. &c. 393.
(26) Ibid. 394.

Aliarum, præter has, potionum, in libro: De ratione victûs in morbis acutis, mentio fit; quæ minùs tamen ad victum pertinent, ſed inter medicamenta potius recenſendæ ſunt. Medicatarum quarundam porro deſcriptio, & facultates, in libro tertio morborum proponuntur (27).

Hæc autem medicinæ pars, quæ victu morbos curat, haud eâ, qua debuit diligentiâ, ab hominibus, qui veterum diſciplinam neglexerunt, agitatur. Hi vel maximam partem eundem cibum omnibus febricitantibus concedunt, vel nil fortè in hac re niſi abſtinentiam a victu craſſiore præcipiunt; totamque victûs rationem aniculæ permittunt: pauciſſimi admodum ſpatium quod decurſura eſt Febris ut cibis modum ſtatuant præſentire ſolliciti ſunt. Eadem autem mala hodie atque olim per ineptam victûs rationem ægrotis accerſuntur, licet vulgus hominum eadem non diſpiciat, quandoquidem non eo præditum ſit ingenio, ut aſſequi poſſis, quæ a morbo, quæ a medico, quæ ab ægro concitantur vitia (is nodus Hippocrate vindice dignus erat). Sed quicquid humanitùs acciderit, id malignitati morbi imputatur. Atque hujusmodi callidis commentis ignorantia celatur artis.

(27) Ibid. *395*, *496* & *97*.

COMMENTARIUS SEXTUS.

PROOEMIUM.

Ut Febres per naturam ſine excretione quadam inſigni vix ſolvuntur, ſic per artem absque opportunâ evacuatione tempeſtive inſtitutâ raro diſcutiuntur. Profecto in Febrium quarumlibet curatione, judice Sydenhamo, is omne punctum tulerit, quâ portâ excludenda veniat materia febrilis, qui certo norit, venæ ſectione v. gr. ſudoribus, catharſi, aut ſi qua alia eſt magis adpoſita (1). Vix ullæ autem, quæ paulo vehementius invaluerint, ex authoritate J. Freind, medicinâ qualicunque, ſi ab evacuandi inſtituto diſceſſeris, reſtingui poſſunt. Quamobrem medici ſummopere intereſt cognoſcere, quæ in dicia ſanguinis miſſionem, quæ alvi purgationem, quæ ſudorum provocationem vel aliam quamlibet evacuationem deſiderant (2).

Lex generalis eſto. Quæ educere oportet, quo maximè vergunt, eò ducito per loca convenientia (3). „Utique ubi iſta, quæ excerni „deſiderant & ſedando morbo apta ſunt," de ſe ſignificationem præbuerint, neque ea ſponte ſuâ natura dimittit, neceſſarias vias quasdam invenit ars, per quas vi impulſa natura ea emittat: remiſſa vero & languida artis peritis quæ por-

(1) De Morb. Epidem. Hiſtor. ſect. 6. cap. 1.
(2) Sub fine Comment. ad Hip.
(3) Aph. 21. ſect. 1.

porro facienda ſunt plane indicat (4). Cæterum, ut evacuatio rite inſtituatur, cautione opus eſt, & multa conſideranda ſunt, quæ quidem ſub initio libri De humoribus, breviſſime perſtringuntur. Sed hæc in genere; explicare autem enitar, quemadmodum ſingula evacuatio ad naturæ normam arripiatur. De ſanguinis detractione primo agam.

De Sanguinis Detractione.

Iis accidentibus venæ ſectio utilis eſſe conſuevit, quibus profluvium ſanguinis ſponte ſuperveniens prodeſt. Igitur inter Febres vehementes, ubi æger ætate vigeat viribusque valeat, ſanguinis è naribus curſus magis accidit & plurimum proficit (5). Idem dolores atroces, & præ cæteris pulſatiles, circa caput, collum, lumbos, atque ad loca infirma ſolvit (6), rubores etiam & tumores vultûs, colli, faucium, vertiginem, inſaniam, oculorum teneritudinem & inflammationem (7), ſpinæ diſtortionem, (ſi quidem æger ex mentis voluntate ad dolorem lateris levandum ſpinam flectat) ſpirandi quoque difficultatem (8), præcordiorum intenſiones, æſtus, afflictiones, diſcernit (9). Ab abſceſſu denique (inflammatorium intelligo & recentem) brevi liberat (10).

(4) Aph. 2. ſect. 4. de Arte 7.
(5) Lib. 1. Epidem. Stat. 3. Coac. Prænot. 140. 142.
(6) Prædict. lib. 1. 80. Coac. Prænot. 135. 136. 143. 145. 151. De Judicat. 55.
(7) Coac. Præſag. 164. 172. 207.
(8) Coac. Præſag. 168.
(9) Præſag.
(10) Prædict. l. 1. 108.

Naturæ autem res non permittitur, donec ipſa ſanguinis profluvium excitet; quia in Febribus acutis, corpore robuſto, & ſanguinis pleno, magnum gravis inflammationis, aut diſſilientis fortè venæ, circa viſcus aliquod nobilius, impendet periculum; quod præcavere quidem facilius eſt, quam natum tollere; atque ubi jam protinus inter initia inflammatio exiſtat grauis, ea longe frequentiùs in pus convertitur, quam à naturâ reſolvitur, ſi morbus ægrotum non priùs interemerit. Porro quæ ſedare ſolent cum poſtea apparent, ea ſi priùs fiant ne ſuperveniant impedimento ſunt (11).

Hic ergo ars laboranti naturæ optimè ſuccurrit. In acutis itaque morbis ſanguinem detrahes, inquit Hippocrates, ſi vehemens morbus videatur, vigeatque ægrotantis ætas, & virium adſit robur (12). Utique in ætate vigente ſolâ, voluit cautus ſenex ſanguinem mitti, quia tantùm ferè in eâ, commodè ſponte erumpit. Sed poſteriores medici ultrà eum audendo, in minùs integrâ ætate, ubi morbus exigit, & vires validæ ſunt, feliciter poſſe detrahi, ſciverunt; ita ut firmus puer, robuſtus ſenex, tutò curentur; quinetiam mulier gravida, valens, contrà ejus authoris præceptum, non modo id genus remedii inter Febres commodè recipit, ſed etiam citra eas, propter ſanguinis abundantiam, aliquandò deſiderat; nil enim potentius contra abortum eo remedio facit: adeo ut, quas ex ſanguinis miſſione abortum feciſſe in Febribus obſervavit Hippocrates, illas propter Febres, & non

(11) Lib. de Humor. 51.
(12) De Rat. Vict. in Acut. 396.

non hanc evacuationem, id paſſas fuiſſe, concludere licet. Igitur vires ægrotantis imprimis contemplare monet Celſus (13), eæque melius ex venis, quam ex ipſà corporis ſpecie æſtimandæ ſunt. Ergo Febris vehemens, ubi rubet corpus, plenæque venæ tument, eo judice ſanguinis detractionem requiret. Galenus autem vires, ex venarum pulſu magis, quam ex earum ſpecie, æſtimavit; itaque in hujusmodi morbis, ſi pulſus valens ſit & plenus, is venam pertundere præcepit (14); & hoc imprimis venæ ſecandæ indicium omnes medici poſt illum probaverunt.

Fallit autem, ubi arteria ſitu profunda eſt, vel ſpiratio difficilis, vel caput vel præcordia morbis opprimuntur (15). Habet & hæc res multas præterea cautiones, quia venæ, ſicut Celſus aliud agens edicit, ſæpe leniores celerioresve ſunt, ætate, & ſexu, & corporum naturâ. Et plerumque ſatis ſano corpore, ſi ſtomachus infirmus eſt, nonnunquam etiam incipiente Febre ſubeunt & quieſcunt, ut imbecillus is videri poſſit, cui facilè laturo gravis inſtat acceſſio. Contra ſæpe eas concitat metus, ira & quilibet alius animi affectus; adeò ut cum primum medicus venit, ſollicitudo ægri dubitantis, quomodo ille ſe habere videatur, eas moveat. Ob quam cauſam periti medici eſt, non protinus ut venit, apprehendere manu brachium, ſed primum reſidere hilari vultu, percunctarique quemadmodum

(13) Lib. 2. cap. 10.
(14) Lib. de Curand. Rat. per. Sang. miſſ. cap. 13.
(15) Boerh. in cap. de Peripneumon Sydenham. Sched. Monit. Galen. lib. 4. de Præſag. ex Pulſ.

dum ſe habeat; & ſi quis ejus metus eſt, probabili ſermone eum lenire, tum deinde ejus corpori manum admovere (16).

Cæterùm ad præceptiones Hippocratis iterum redeo. Præcordiorum, ſepti transverſi, pulmonum, laterum, ſedium corporis ſuperiorum, inflammationes; quinetiam univerſæ morborum collectiones, i. e. (interprete Galeno) quæcunque demum inflammationes, ſolvi non poſſunt, ſi quis temerariè alvum medicamento ducit; ſiquidem ſanguinis detractio ſummum eſt his malis remedium (17). Metuit, uti videtur, Hippocrates, ne vires, ab alvi purgatione, tantùm convellerentur, ut poſt eam venæ ſectioni locus non eſſet; adeo ut haud meminerim, quòd is unquam hoc præſidio poſt medicamentum uſus ſit. Omnis inflammatio eſt reverà abſceſſus, cujus notæ rubor, calor, tumor, & (ſi locus ſentiens ſit), dolor; ſed ab abſceſſu, ut dictum eſt, ſanguinis profluvium copioſum brevi liberat.

Igitur ubi circà caput, cerebrum, fauces, pectus, præcordia, latera, lumbos, talis affectio inſederit; àtque tumores, & rubores, circa vultum, oculos, aures; dolores capitis, vertigines, deliria, aliasve cerebri affectiones, deglutiendi aut ſpirandi difficultatem; pectoris, laterum, lumborum, præcordiorum cruciatus, & horum retractiones, aut intenſiones, dolentes valdè & palpitantes intulerit; quis ſanus medicus

(16) Lib. 3. cap. 6.

(17) De Rat. Vict. 396. 397. 386. 397. Prædict. lib. 2. 108. &c. p. 180.

cus tantum auxilium a natura indicatum protinus non arripiet, ſi modo ſinant vires.

Atque ubi ex his aliquid viribus imbecillum detineat, periturusque ſit, qui laborat, niſi temerariâ quaque viâ fuerit adjutus; in hoc ſtatu boni eſſe medici, præcipit Celſus, oſtendere, quam nulla ſpes ſine ſanguinis detractione ſit, faterique quantus in hac ipſâ re ſit metus; & tum demum, ſi exigatur, ſanguinem mittere (18). Simili uſus conſilio Aretæus, ſi inflammatio aliqua inſignis in præcordiis aut jecinore appareat, etiam in ſyncope ſanguinem mitti jubet. Conſulunt autem magis ſuæ famæ, qui anceps remedium in tanto periculo experiri recuſant, ne quem arte ſuâ non ſervaverint, quibusdam videantur occidiſſe. Hoc quidem eſt callidi medici, illud honeſti viri.

Atque ſanguinis detractio, licet magis promptum & præſens auxilium, inflammationibus ſuperiorum corporis ſedium, quam inferiorum ferat; nihilominus tamen & harum ſummum eſt remedium; ſanguinis utique profuſio dolores inferiorum partium vehementes ſolvit. Itaque ad inflammationes quascunque tollendas, & dolores vehementes ab iis concitatos, leniendos adhibeatur ſanguinis detractio.

Sanguinem autem detrahere oportet, juxtà corporis habitum, & tempus, & ætatem, & colorem. Ubi hæc omnia fuerint curationi opportuna, plus & majore fiducia detrahendum eſt; & ſi dolor vehemens circa ſuperiora exiſtens, & Febris acuta unà cum his venæ ſectio-

 nem

(18) Lib. 2. cap. 10.

nem deſiderant, ad animi usque deliquium ſanguis ducendus eſt (19). Hæc fuit etiam ſententia Aretæi & Galeni. In anginâ præcipit is, ut incidatur vena cubiti; fiat autem inciſio largior, ut cum impetu & confertim exeat ſanguis; nam ita fluens erit ad calorem quam citiſſimè mitigandum, & ad ſtrangulationem ſolvendam, & ad reliqua omnia mala imminuenda efficax. Neque parum adjumenti præſtat, quoad anima deficere incipiat, non tamen omnino defecerit, ſi continuetur ſanguinis detractio: quidam enim ex animæ defectione, poſt V. S. è vita deceſſerunt. Galenus autem in Comment. ad Aph. 23. ſect. 1. hæc habet: Animæ defectio, quæ ratione evacuationis fit, nunc ab Hippocrate dicta eſt, eſſe menſura evacuationis, & in maximis inflammationibus, & in ardentiſſimis Febribus & vehementibus doloribus; oportet (ſicut & ipſe inquit) viribus integris & valentibus, tantam moliri evacuationem: & nos id præſidii plurimum prodeſſe experentiâ multiplici didicimus; nam detracto ſanguine ad animi defectum, in ardentiſſimis Febribus, ſtatim totius corporis habitus refrigeratur, & Febris extinguitur; plurimis autem alvus citatur, & ſudores erumpunt, ex quibus alii ſtatim convaleſcunt, alii longè faciliùs morbum ferunt, nec diu poſt integri fiunt: in maximis etiam inflammationibus, & vehementiſſimis doloribus, nullum majus novi remedium. Scribuntur duorum juvenum hiſtoriæ, qui hac ratione curati fuerunt; alter inclinato ſecundo die, alter incipiente tertio; huic Febris illicò finiebatur, illi

(19) De Rat. Vict. in Morb. Acut. 401.

illi ſenſim inclinavit & ſeptimo omnino deſiit (20).

Lubet autem hanc rem paulò altiùs agitare. Igitur, deficiente animâ, id quod circa genas labiaque rubrum eſſe ſolet, in pallidum convertitur; pallet quoque frigetque totus corporis habitus, atque univerſâ cutis ſudore madeſcit. Hæc utique fiunt ob reſolutionem fibrarum ſupremas arterias ſtringentium, & lapſum ſanguinis ex vaſis exilibus: ea autem ſi contingant arteriis inflammatis, ſolvitur illico inflammatio, necnon id genus Febrium ardentium, quod a generali fere arteriarum obſtructione naſcitur. Hæc ita contingere, ſi modo ſanguis nondum vaſis obſtructis cogitur, vaſaque ipſa integra ſunt, ſuadere analogia & experientia confirmare videtur. Imbecilli profectò, qui decubuerunt lecto affixi, ubi erigantur in pedes, frequenter admodùm animæ defectu corripiuntur: his utique humores, pondere ſuo in venas inferiores inanitas declives feruntur, ſimulque ſanguini caput petenti additur reſiſtentia, æqualis momento columnæ cruoris ejusdem altitudinis cum intervallo cor inter & cerebrum cedente. Eadem paſſio iis quoque ſupervenit, qui aquâ ventrem diſtenti ſunt, vel pus collegerunt, ubi ea ſubito educantur; cedere enim moti humoris eſt ubi minùs reſiſtitur: his itaque ſanguis in vaſa laxata circà abdomen faciliùs abibit, ſed a capite avertetur; in id ipſum hepar pondere deorſum trahens ſeptum transverſum, eoque pulmonis actiones lædens conſpirare quoque videtur. Ex his, aliisque experimentis docemur, non tantum de-

(20) Method. Medend. lib. 9. cap. 4.

ficere animam, ob copiam ſanguinis detractam, ſed ob impetum ejus in cerebrum diminutum. Hinc intelligimus, cur homo ex longè minori ſanguinis jacturà animà deficit, ſi is ex lato vulnere, in amplo vaſe, vel in pluribus ſimul inflicto, confertìm fluat, quam ſi ex parvâ plagâ ſensìm ſtillat; & eo citius, ſi erectus ſtat. Propter hæc Aretæus, experientia ſapiens, cum vires convellendæ ſunt, venam largâ inciſione ſecat (21), è contrà cum eæ debiles fuerint, ex vulnere exili ſanguinem demit (22). Cæterum ſanguinis ad animi deliquium evacuatio inflammationi inveteratæ inutile eſt; in phrenitide & cerebri morbis, ſpiratione quoque difficili (23), ex pulmonis inflammatione non recènti; & in omni morbo, ubi vires non valentes ſunt, minùs tutum eſt. Periculi autem aliquid eſt ex hac curatione, ne materia cruda inflammatoria ex vaſis putà lateris dilapſa pulmones (24) vel cerebrum occupet: tum lateris dolori ſedato ſubito ſuperveniet peripneumonia aut phrenitis, quam ego intra paucas horas lethalem vidi.

Primi autem morborum dies omnino maximè venæ ſectioni opportuni habentur; ob quam cauſam, hoc præſidium arripiendum eſt, quam primùm id accidentia deſideraverint, atque repetendum eſt, iterum atque iterum ſub eodem rerum ſtatu. Sanguis verò tenuis & ſanioſus repetitam V. S. raró admittit; contrà, denſus & coria-

(21) Cap. de Curat. Angin.
(22) De Curat. Cardiacorum.
(23) Aretæus de Cura adverſus Phrenitidem & Peripneumoniam.
(24) Idem de Pleurit. curatione.

coriaceus ſæpe deſiderat. Præſtat utique, ſi vires debiliores ſunt, debito minus mittendo ſanguinis, quam plus nimis educendo delinquere; nam ſi largiore detractione opus eſſe videatur, vena poteſt iterum incidi. Ultra quartum vero diem, plurimi medici venam pertundere vix auſi ſunt; atqui profluvium criticum poſt hoc tempus ut plurimum evenit: Hippocrates quoque Anaxioni pleuritide laboranti ſiccâ, eo quod 7 die Febres intendebantur, neque dolores remiſerant, & tuſſes infeſtabant, & difficilis ſpiratio erat, octavo venam feliciter ſecuit. Unde miror quòd Celſus, qui vires ægrotantis, magis quam ætatem æſtimavit, easdem magis quoque quàm morbi tempora non conſideraverit. Cæterùm ubi inflammatio vehemens quartum diem jam ſuperaverit, vix fieri poteſt, quin in pus convertatur; ſed ut abſceſſus ille purulentus quam minimus fiat, & ut Febres miteſcant, & ut dolores leniantur, poſtea quidem efficiet venæ ſectio.

Alias atque alias venas, in diverſis morbis, veteres incidere ſolebant; eo quidem conſilio, ut humorum fluxiones ad ſedes affectas interciperent, vel ex iis malos ſuccos educerent. Sed ita ut acritèr aliquando litigatum fuit, quænam vena in ſingulâ fere paſſione pertundenda eſſet. Poſtquam autem Harvæus itum ſanguinis per arterias, reditumque per venas demonſtravit, dirempta lis eſt; hodieque aperitur vena, quæ ſectioni ſitu maximè opportuna eſt; niſi ubi interdum inciſâ venâ jugulari, aut ſaphænâ, derivationi aut revulſioni ſtudetur.

Punctâ

Punctâ etiam arteriâ ſanguinem detrahere novum non eſt; atque venas palpitantes deſtruere, cùm diſſectione tùm inuſtione, perantiquum. Vulnera autem arteriæ malæ audiunt imprimis propter aneuriſma, quod ea, non perfectâ arteriâ, ſequi ſolet: itaque cautè à chirurgis arteria ſcalpello attingebatur. Siquidem cruor tantâ vi in hoc genus vaſorum adigitur, ut eorum tunica, ſingula cordis contractione, validiſſimè quidem & octuplo plus quam venarum intendatur (25); ob quam cauſam arteriarum vulnera perpetuò divelluntur, ita ut inciſa arteria neque coire neque ſaneſcere credebatur. Attamen non eſt, quo minus arteriarum plage coeant, perindè ac aliarum partium æque nervoſarum vulnera; ſi modo vis illas diſtrahens tollatur; & id quidem nullo fit negotio, ubicunque arteria proxima & cuti & oſſi, uti circa tempora, decurrit: quippe, admoto iis locis corpore quodam minùs cedente, modiceque adacto, intercipitur ſanguinis curſus. Hoc unusquisque in ſe ipſo facilè experiri poteſt, ſi enim digito ſibi arteriam temporalem comprimat, nulla erit ultra digitum in ea agitatio. Hac ratione Ægyptii (quibus familiariſſimum eſt omnes arterias circa caput, & illam inter digitum indicem pollicemque ſcalpello pertundere) detracto ſatis ſanguinis magnum æneum denarium arteriæ admovent, quem, ſuppoſito priùs Goſſipio, ſupra vulnus fortiter alligant, & per tres dies manere ſinunt, quibus finitis ligaturum ſolvunt. Nullumque vidit ex plurimis ſic curatis Alpinus, cui

(25) Hales Hæmaſtaticks Exp. 22. ſect. 8. & 10. & Table p. 42.

cui ſoluto vinculo, alio aliquo auxilio opus eſſet; ſed integrè omnes ſanatos obſervavit (26). Ex Europæis chirurgis olim quidam hac curatione tutò uſi ſunt; pluribus tamen ſuſpecta fuit; nuperrimè vero periti arterias capitis ſine ulla hæſitatione aut periculo incidunt; ſperandum itaque eſt, ut noſtri etiam homines huic auxilio tandem aſſueſcant. In longis quidem morbis, hactenùs, ut plurimum id remedium probaverunt. In acutis quoque, ſi quando ſanguis intra arterias coacervatur, neſcitque per earum anguſtias tranſire, ſive propter vaſorum conſtrictionem, ſive humorum craſſitiem, ſummum eſt remedium. Nil boni hic præſtat venæ ſectio, ſed demendo ſanguinis tenuiorem particulam, quæ in venis eſt, & circuitum ſola obit, multum obeſt. Omnia autem accidentia, ſanguinis curſum à naribus inſtantem præſagientia, ejus tutus circa caput oppleri palàm declarant; &, uti veriſimile eſt, ex impedimento circa extremas arterias nato. Hæ enim a principio ampliori perpetuò ad finem anguſtiores fiunt, venæ è contrà latiores. In quibusdam quoque Febribus ardentibus calor, rubor, ſiccitas totius externi corporis habitus ex eâdem naſci cauſâ videntur. Sectio denique cadaverum ex hujusmodi Febribus mortuorum, cruorem maximâ ex parte arteriis infartum, & accumulatum, eumque valde denſum & coactum; in venis verò paucum & tenuem, oſtendit: alioqui autem, ut notum eſt, venæ majorem partem cruoris a morte capere debent. Cùm ergo hic fuerit rerum ſtatus, vix ulla ſalus eſt, ſine arteriæ inciſione

(26) De Medicin. Ægyptior. lib. 2. cap. 12.

ſione, aut diſruptione ſpontaneâ. Hiſce altera arteriæ ſectionis addenda eſt utilitas; ſcilicet longè valentiſſima per eam fit derivatio, ubi adminiſtrari tutò, ſicut circa caput, poteſt.

Alium adhuc modum educendi ſanguinis, concidendo utique cutem, aptandoque ei deinde cucurbitulas, ars invenit. Uſus autem cucurbitulæ, cum ferro & ſine eo, apud Hippocratem frequens fuit. Integrâ cute ſpiritum per eas extrahi, fluxionesque revelli, creditum eſſet. Adhibetur maximâ ex parte cucurbitula, ubi non in toto corpore, ſed in parte aliquâ, vitium eſt; quam exhauriri ad profligandam paſſionem ſatis eſt. Itaque juxta ſedes dolentes & inflammatas, in Febricus uſum habet. Si eryſipelatoſum quid fauces, pulmones, vel aliam corporis ſedem internam obſederit, quando ocyus, ad extrahendum id morbile turgensque verſus exteriora, cucurbitulæ affigendæ ſunt (27). Atque ubi exquiſita inflammatio ſubeſt, poſt venæ ſectionem & valentiora remedia, aliquamdiu melius reſervantur.

In pleuritide, poſt ſeptimum diem, plurimum juvare cucurbitulam, Aretæus obſervavit; quamobrem hoc remedio non præproperè utendum eſt; neque enim mites ſunt morbi quicunque ante ſeptimum diem cucurbitulam requirunt. Sic ille (28); methodici quoque, qui id auxilii valde amabant, ſeriùs quidem adhibuerunt: in phrenitide enim decimo demùm die cucur-

(27) Vide Hip. curat. Angin. lib. 2. de Morb.
(28) Lib. 2. de curat. acutor. Morb. & cap. 10.

cucurbitulâ hi, auctore Cælio Aureliano, uſi ſunt. In acutis præterea morbis, ubi paſſio ſanguinis detractionem exigit, ſed vires ægrotantis venæ ſectionem omnino prohibent, cucurbitulâ opus eſt: hoc enim auxilium vires non convellit, & ne unquam quidem inter Febres periculoſum exiſtit, ita ut in ſyncope ex præcordiorum inflammatione, viribus prorſus venæ ſectionem inhibentibus, huc confugit Aretæus. Cæterum, moniti a Cornelio Celſo, ſciamus hic ut nullum periculum, ita levius præſidium eſſe, nec poſſe vehementi malo, niſi æque vehemens auxilium ſuccurrere (29).

(29) Lib. 2. cap. 12.

COM-

COMMENTARIUS SEPTIMUS.

De Alvi Dejectione, & Vomitu.

Aliis per ſpontaneum alvi profluvium Febres ſenſim levatas fuiſſe, aliis valetudinem integram citò reſtitutam in libris Hippocratis legimus. Scimus etiam, quod medicinæ parens, ad imitationem naturæ, ſæpe inter Febres alvum ducere conſueverit. Hunc deindè ſecuti maximi artis magiſtri, in eo morbi genere, id ipſum præſidium probaverunt, præſertim vero antiquiores; illi enim dejectionem, variis medicamentis, crebràque alvi ductione, in omnibus ferè morbis moliebantur (1).

Hæc autem medendi ratio, in morbis acutis, judicio viri, tam in medendo, quam eloquendo, peritiſſimi, tam multas habet cautiones, ut neque ullæ de ea ſatis accuratæ tradantur regulæ, neque, niſi laboris & judicii plurimum acceſſerit, tradi poſſint. Nam & perito ita ſuam in hac re ſententiam perſequi, ne erret, haudquaquam facile; ſcriptis vero ita aperire, ut alii in errorem ne incidant, difficillimum. Itaque medentibus, ut hanc uſu atque exercitatione conſequi poſſint intelligendi prudentiam, relinquendum ſtatuit (2). Hæc tanti ſane viri ſententia me a propoſito ferè dejecerat, ſed alitèr quàm experimento periculoſo ſcire arde-

(1) Celſus lib. 2. cap. 12.
(2) Freind, Comment. 7. ad lib. Epid. Hip.

ardebam, cùm purgatio inter Febres deſideretur. Ad eruendas igitur quasdam purgandi regulas, diligentèr inquiſivi, quæ vitia Hippocrates hâc curatione exceperit. Ea autem, quæ apud hunc aliosque medicos celeberrimos inveni, nonnullis fortè, qui hanc medendi rationem exercitatione non conſecuti ſunt, ex uſu eſſe poſſint; agitanti autem mihi argumentum hoc novum & difficillimum propitium, precor, præbeatis animum legentes.

Igitur præcordia, & inteſtini pars ventriculo proxima, per os, ſeu viam maximè idoneam, expurgantur; venter autem inferior, ſive altera inteſtini portio, per alvum. Propter hanc inter vomitiones & dejectiones affinitatem, purgationis, tum ſurſum, tum deorſum, regulas contexam; ſed quâ ratione moderari alvum in Febribus citra purgationem expedit, prius oſtendam. Alvum quidèm ſempèr facilem inter Febres, præterquam circà judicationes, exoptavit Hippocrates. Is, naturæ invigilans, obſervavit, quod tales nequicquam hiſce morbis acutis opportuni ſint, quos cita alvus exercet (3). Sed è contrà, quibus alvus dura exiſtit, neceſſe eſt, ut ii in tales proclives ſint (4), tum quod graviſſima accidentia (quæ in ſuperioribus ſcribuntur) alvo compreſſâ, in Febribus contingant. Si itaque ægrotis alvus non deſcendat, atque ſecundâ utentibus valetudine conſuevit, arte eam citari vult. Si Febris corripiat hominem, vetuſto ſtercore non ſubeunte, aut a cibo recens

(3) Hip. lib. de Aere, &c. 281.
(4) Id. ibid. 282.

recens accepto, ſive cum dolore lateris, ſive absque eo, à ſorbitionibus abſtinere oportet, donec ingeſta ad infernam alvum deſcenderint; ſi vero deſcenderint, & ſtercus ad finem inteſtini eſt, ſed intus remanet, gravitas erit quædam circa lumbos, & ſpiritus infra erumpens ſtercus olebit: ubi hoc fuerit, & alvus tamen non opportunè deſcendit, glande ſuppoſito, vel clyſtere infuſo, ea ſubducenda eſt. Si vero recrementa non juxta ſunt, ſed in ſuperiori quâdam inteſtini parte hærent, potione ex mulſâ, vel præcipuè in bilioſis, mulſâ cum aceto uti oportet, ut ea deorſum ducantur; ſi autem hac curatione ad finem inteſtini ſtercus deductum ſit, ſed ibi adhuc tardaverit, glande vel clyſtere expediendum eſt. Valentibus & viribus & ætate clyſteres aptiores ſunt, glans autem imbecillis. Atque hæc quidem facere oportet, ſi ſponte non commodè prodierit alvus, non modo inter initia, ſed ad usque ferè judicationes, circa eas vero contrahi debet venter, niſi hac via morbus exitum petat. Cæterum cum alvus retinetur, ſit initium ſorbitionis poſt primos morbi dies, ubi vires cibos deſideraverint; ſin minus, poſt judicationes, ubi eæ ſeptimum diem, aut nonum, non exceſſerint. Atque ſorbitiones, cum iis opus fuerit, neque multæ, neque craſſæ, dandæ ſunt (5).

Hac enim ratione, vacuis inteſtinis, vel ſaltem non infartis, muſculoſa illa compages, quæ ſeptum transverſum dicitur, nullo negotio in abdomen agens deſcendit; hujus autem actio præ omnibus ſpirationi inſervientium organorum ma-

Sed

(5) Hip. lib. de Ratione Victus in Acut. 386 & 398.

ximi ad explicandos pulmones momenti eſt. Sed neque hoc unicum eſt ex eo commodum; nam venæ circà totum abdomen, tam majores quam minores, minimè comprimuntur, undè expedita ſanguini per eas via; præterea non modo recrementa ventris dejiciuntur, antequam vitium contraxerint, ſed via eſt aperta, ſi natura quædam ab interioribus corporis ſedibus per alvum expellere moliatur. E contrà vero, ubi inteſtina fæcibus fuerint oppleta, non ſatis ſpatii deſcendenti ſepto transverſo conceditur; indè ſpiratio minùs profunda, compreſſa, & frequentior; duriores etiam, & plures ſepto transverſo labores: pulmonis quoque, jecinoris & viſcerum intra præcordia anguſtiæ, obſtructiones, ſecretiones turbatæ, ab eadem origine naſcuntur: tum omnium venarum in abdomine coarctationes; unde ſanguis in ſuperiora, latera utique & caput, majore copia & impetu propellitur. Ex his patet ratio ejus rei, quam Hippocrates obſervavit: nempè ubi cibi recrementum intercluſum eſt, ſi quis, non ſubevacuato illo, ſorbitionem dederit, dolorem lateris, ſi adeſt, graviorem reddere, ſi non adeſt, ſtatim inducere, & ſpirationem frequentiorem efficere. Quod quidem malum eſt: ſiquidem pulmones exſiccat, & laborioſum eſt, tum præcordiis, tum imo ventri, tum ſepto transverſo (6). Atque etiam præcepti ſequentis Celſi; ubi venter ſuppreſſus parum reddit, ex eoque inflammationes, caligines, capitis dolores, aliaque ſuperioris partis mala increſcunt, dejectio medicamento petenda eſt (7). Denique recrementa

 intra

(6) Lib. de Vict. in Morb. acut. 385.
(7) Lib. I. cap. 3.

intra inteſtina diu retenta, ubi aeri obvia ſunt, calore febrili putridiſſima acerrimaque evadunt; quorum in venas repens ſubtilior particula, vel ſola Febri putridæ excitandæ, aut aliunde ortæ intendendæ valet; altera verò craſſior, inteſtinis inhærens, tormina excitat, & tandem valentiſſimi inſtar medicamenti alvum ducit. Ex tali alvi profluvio ægrotantes haud rarò vita cedunt; ſæpe autem, tum ex venarum inanitione, tum ex mole ſtercoris derepentè inteſtinis ſubducta, animo deficiunt: nam hoc accidens plerumque ſupervenit, poſtquàm jam à Febribus vires detritæ ſunt. Tanta autem mala cùm alvi profluvio ſupervenire viſa ſint; nonnulli ſumma cura alvum exſiccare contendunt, præſertim in eo Febrium genere, quod per ſudores diſcerni conſuevit; ſed inepto ſane conſilio, talis enim curatio vitium, quod præcavere nituntur, acceſſit. In Febre quadam putrida, quæ anno 1719. in Anglia graſſata eſt, haud paucis, circa diem duodecimum, oborta eſt diarrhæa, vires proſternens, rarò mala accidentia leniens. Atque hoc contigit, etiamſi medicamento vomitus eductus fuiſſet; ruebant enim tali copia ex improviſo per alvum humores, ut ægrorum vires evacuationi fuerint prorſus impares: aliter autem iis res ſucceſſit, quibus lentè per totum morbi decurſum alvus fluebat; quamvis enim rarò, per has vias, judicationem paſſa eſt Febris, hos tamen minùs urgebant calor, inquietudo, & delirium; neque criſi obſtabat talis evacuatio, quin potius, ſymptomata allevando, citius induxit. Sudores enim circa 16 diem Febres plerumque ſolvebant (8). Pur-

(8) Clifton. Wintringham Comment. Noſolog. Conſtitut. 1719.

Purgantia autem medicamenta aliquando inter initia Febrium neceſſaria ſunt; ſed ſi imprudenter exhibeantur, ea ſaltem quæ valentiora ſunt, periculo non vacant. De iis talia præcipit Hippocrates. In acutis affectionibus raro & inter initia purgante utendum eſt, atque hoc, adhibita diligenti cautione, faciendum (9). Concocta autem purgare, & movere oportet, non cruda, neque inter initia, niſi turgeant; plurima non turgent (10). Materia igitur turgens, id ipſum eſt, quod purgans in principio Febris deſiderat. Quid autem ſit materia turgens, præceptor non definivit. Id *ὀργᾶν*, quod turgere vertimus, Galenus in diverſis locis expoſuit. Proprie quidem ſignificat, ad coitum impetu ferri; ab animantibus in venerem concitatis, ad humores translatum eſt: nam quemadmodum ea quieſcere non poſſunt, quodammodo titillata, & impulſa, atque ſtimulata ab ejusmodi affectus impotentia; ſic & humores plerumque, dum motu feruntur concitatiori, & ab una parte ad alteram transfluunt ſtatim initio morbi, hominem infeſtant, concitantes, & titillantes, nec quieſcere ſinunt, ſed & ipſi moventur, & transfluunt, tantòque motu ægrum infeſtant (11). Porro is in altero loco, *ὀργᾶν* dicit turgere ſignificare, urgere & ad exitum feſtinare; & humoribus attribui, ad exitum paratiſſimis & urgentibus (12). Ex Galeni quidem authoritate, omnes quotquot ſunt Hippocratis interpretes, hanc vo-

 culam

(9) Aphor. 24. ſect. 1.

(10) Aphor. 22. ſect. 1.

(11) Galen. Comment. ad Aphoriſm. citatum.

(12) Vid. Foeſ. Oeconom. Hip.

culam eodem modo exponunt; & procul dubio ſignificationem ejus tenuerunt; ſed quærenti mihi, apud omnes ferè, certam rei notam, ut cognoſcerem, ubi purgans exhibendum eſſet, fruſtra fuit labor. Ad talem autem inveniendam, nam hoc deſideratur, alio inveſtigandi modo uſus ſum; utique, ſcripta Hippocratis exploravi, eo propoſito, ut intelligerem, quæ accidentia inter Febres ipſe purgante medicina excipi volebat: nam hæc erunt notæ materiæ turgentis; quandoquidem ubi ea non turget, medicamenta ſub ingreſſu Febrium prohibuit. Quamobrem paucas ſententias ex Hippocrate ſelectas, quæ totam rem complecti videntur, expromere haud alienum erit.

Si quidem in ventriculum effuſus fuerit humor iſte amarus, quem bilem flavam nuncupare ſolemus, quænam anxietates, æſtus, & impotentia, detinent? quibus interdum liberati, & purgati, vel ſponte vel medicamento, ſi quid horum tempeſtivè contingat, doloribus planè & calore defunguntur: quamdiù verò iſta retenta, inconcocta, & minimè contemperata fuerint, nulla arte neque dolores neque Febres finientur. Præterea, quibus acuti, acres, æruginoſi humores inſtant; quinam mentis angores, & viſcerum, thoracisque cruciatus, animique abjectio, inde oriuntur? neque prius hæc quieſcunt, quam expurgati, dejecti & aliis permixti fuerint (13). *Thoracis cruciatus hic, credo, præcordiorum deſignat dolorem; totum enim ſpatii, quod coſtæ complectuntur, Hippocrates thoracem dixit; ita*

(13) De Priſca Medicina, 16.

ita apud eum jecur in thorace ſitum eſſe legimus (14).

Quicquid autem bilis, in ventriculo & veſica fellis naſcitur: quod quidem in ventriculo eſt, interdum per inferiora exturbatur; plerumque vero intra primos dies, aut quarto, aut quinto Febris die, ob hanc cauſam evomitur.

Qui toto capite gravitatem ſentiunt, cum oris ventriculi morſu, & ſtomachi faſtidio, ii bilioſa & pituitoſa vomunt (15).

Leipyriæ Febres, *utique, quæ ex malis ſuccis circa ventriculum, & non ipſius affectione inflammante, aut ulcerante, oriuntur*, non niſi ſuperveniente cholera ſolvuntur (16).

Si, Febre ex bile detinente, non purgetur, neque ſurſum neque deorſum æger, & dolor affuerit per totum corpus, tertio vel quarto die pharmaco leni, aut potione deorſum purgato (17).

Fit autem Febris ardens, cum reſiccatæ venulæ acres & bilioſos humores ad ſe attraxerint, & Febris multa detinet, corpusque oſſariâ laſſitudine vexatum laborat, & dolet. — Fit autem lingua ſicca, & aſpera, & nigra, & ob ventris morſum dolor eſt, alvi egeſtiones tum valde liquidæ, tum pallidæ ſunt; ſitis adeſt vehemens, & vigiliæ, interdum mentis alienationes. Huic aquæ & muſæ coctæ, quantum volet, potui exhibeto, & ſi os amarum fuerit, vomere con-

(14) De Arte *6*.

(15) Lib. 1. Epid. *949*.

(16) Coac. Prænot. 134.

(17) Lib. de Affectionibus. *519*.

convenit, & alvum ſubluere; quod ſi ad hæc non ſolvatur, lacte aſinino cocto purgato (18). &c. *Exhibet quidem lac aſininum, ſi neque vomitus eductio, neque alvi ſublutio, oris amaritudinem, & ventris morſus ſolverit; Febris enim ſolutio alia judicatione ſperatur, quæ legi poteſt.*

Curare vero pleuritidem utplurimum velut phrenitidem & peripneumoniam oportet —. Si autem primo aut ſecundo die ſtercus prodiit purum, aut leviter bilioſum & modicum, infuſum thapſiæ per clyſterem injicito: ſi vero alvus commota noctu quidem egerit, poſtridiè vero dolor aut tormina vexant, rurſus clyſterem adhibeto. At ſi æger bilioſus ſit naturâ, & non purgatus correptus fuerit a morbo, medicamento bilem expurgato, priusquam ſputa bilioſa expuat (19).

Inter Febres, circa præcordia ſpectandum, num dolorem ſentiant, vel in tumorem attollantur, vel obliquitatem vel ſatietatem habeant, vel lateris dolor affuerit, ſimulque cum dolore aut tuſſiculâ, aut tormina, aut ventris dolor affligant; ubi enim horum quicquam in præcordiis adfuerit, præcipué alvum per infuſa ſolvere convenit, in potu aquâ mulſâ calidâ decocta utatur (20).

Præcordiorum dolores & tumores, ſi fuerint recentes citra inflammationem, ſolvit murmur in præcordio obortum; idque maximè ſanè, ſi flatus cum ſtercore vel urinâ erumpat (21). Si

(18) De Victu in Morbis acutis. 396.
(19) Lib. 3. de Morbis. 494.
(20) De ratione Vict. in acutis Morb. 400.
(21) Coac. Prænot.

Si eas, quæ ſub ſepto transverſo ſunt partes, dolor infeſtat, & nullum ad claviculam ſignum fuerit, ventrem nigro veratro vel peplio mollire oportet; veratro autem admiſceto daucum, vel ſeſeli, vel ſiminum, vel aniſum, vel aliquid boni odoris, peplio autem ſilphii ſuccum. Cæterum veratrum tum melius ad judicationes ventrem ſolvit, peplium magis flatus diſcutit; dolorem præterea hæc ambo ſedant; ſedant & alia multa quæ expurgant medicamenta, hæc vero potiſſimùm id agunt; alioqui & ea, quæ in ſorbitionibus exhibentur, alvum ſubducentia medicamenta, opitulantur, quæ nec valdè injucunda ſunt (22).

In Febre ex bile, cùm os minime laboret, ſed ad imum ventrem tormina decumbant, medicamentum deorſum purgans exhibendum; poſteaque lac aſininum, aut ſerum, aut ſuccus aliquis dandus eſt (23).

Purgationes imparibus diebus ſupra fiunt, ſi & circuitus, & conſtitutio ex ipſis acceſſionibus talis extiterit, ut plurimum hæ diebus imparibus infrà contingunt; ſic etiam, quæ ſponte eveniunt, juvant, niſi circuitus acceſſiones diebus paribus faciant, in talibus autem paribus diebus ſuprà, imparibus vero infrà fiunt; paucæ autem ejusmodi ſunt, taleſque conſtitutiones difficiliorem habent judicationem (24).

Subpurgandi ſunt ventres in morbis, ubi purganda matura fuerint; inferni quidem, ubi conſediſſe videris, ſignum habes, ſi non anxii fuerint,

(22) De rat. Vict. in Acut. 387.
(23) Lib. 2. de Morbis. 473.
(24) De Humoribus. 48.

rint, neque capite gravati, & quum calores mitiſſimi, & quum poſt exacerbationes ceſſarint; ſuperni vero in ipſis exacerbationibus. Tunc enim & hi elevantur, quum ægri anxii & gravati ſupernis partibus fuerint (25).

Si liquidam alvum habenti Febris ardens oboriatur, ſi tibi medicamentum purgans idoneum videtur, id tribus primis diebus non exhibendum, ſed quarto (26).

Quæ infra feruntur, plerumque purgare convenit; & id quidem non prope judicationes ſed longius ab iis; in acutis autem raro multa ducere oportet (27).

Febricitantes, ſi quidem inter initia medicamento purgare volueris, id ante quintum diem faciendum, ſi venter murmuraverit; alioqui a medicamentis abſtinendum; quod ſi murmuraverit venter, alvique egeſtiones bilioſæ fuerint, ſcammonio exhibito moderatè purgandum (28).

Materia ergo turgens eſt aliquid moleſtum circa primas vias hærens, quod aut per os, aut per alvum, plerumque excuti poteſt, atque haud rarò ventriculum aut inteſtinum ad id ipſum expellendum irritat. Hujusmodi eſt bilis flava, acris, æruginoſa, atra, tum humores, acuti, putridi, corrupti, acres, in ventriculum vel inteſtina concurrentia; tum flatus præcordia & ventrem diſtendentes. Materiæ autem turgentis circa ventriculum notæ ſunt; corporis totius laſſitudo, impotentia ſubita, horrores, lingua ſordi-

(25) De morbis vulgar. lib. 5. 1156. & lib. 7. 1226.
(26) De Rat. Vict. in Morb. acut.
(27) De Humoribus. 49.
(28) De rat. Vict. in Morb. acut. 401.

ſordibus obſeſſa, os amarum, cibi faſtidium, oris ventriculi morſus, præcordiorum moleſtiæ, & tumores facilè digitis cedentes, pectoris anguſtiæ & oppreſſio, dolor ventriculi, item lateris ſub ſepto transverſo, & intra coſtas hærens; ſed absque præcordiorum inflammatione (qui nonnunquam cruciatus thoracis dicitur, nonnunquam dolor lateris ſurſum ad claviculas non tendens), extremorum frigus, capitis totius gravitates & dolores, vertigo, oculorum caligines, mentis marcor, animi abjectio, inquietudo, anxietas, jactationes, (ſi modo inflammatio abſit). Infra autem præcordia turgere materiam, & inteſtinis inſidere, ſignificant; genuum gravitas, lumborum dolor, ventris diſtentiones, murmura, tormina, alvi egeſtiones liquidæ, ſinceræ, corruptæ & acres. Cæterum hæc mala accidentia, necnon Febres ab eadem cauſa concitatæ, non prius ullâ arte ceſſant, quam materia turgens contemperata ſit, vel commoda purgatione expulſa. Igitur ſecundum præceptum optimi magiſtri, ubi materia turgeat, inter initia Febrium omninò purgandum eſt; ſi autem ſurſùm tendat, vomitum educere oportet; ſi deorſùm, dejectiones ciere: Siquidem proximâ quâque via, modo commoda ſit, morbus evocandus eſt. Præterea in his etiam naturam ducem ſequimur. Neutiquam vero expectare æquum eſt, ut ex his evacuationibus Febres, quæ crudæ ſunt, judicentur; ſed ſpes eſt, ut gravia illa accidentia, quæ materiem turgentem indicant, leventur: ex quo ægri faciliùs ferent Febres, & illæ citius finientur. Ita uxori Theotimi, cum in ſemitertianâ Febre, anxietas, vomitus, & horror, ſimul cum Febribus inciperent, datum fuit meli-

melicraton, ex quo cùm evomuiſſet, horror & anxietas ſedata ſunt (29).

Præter hæc autem, inter initia morborum acutorum, alvi ductionem ab Hippocrate probatam fuiſſe, ad educendam materiam malam ab internis etiam corporis ſedibus, invenio: nam ad ſubducendos humores a partibus inflammatis, purgantia exhibuit: in inflammationibus autem, circa capitis regionem & fauces, nunquam negligit (ſed notandum eſt, quòd Hippocrates morbos ex inflammatione Febres non dixerit). Ubicunque autem Febris vehemens, aut partis alicujus inflammatio, ſanguinis detractionem deſiderat, vena ſemper priùs ſecanda eſt, & purgatio, ubi ea opportuna videatur, ſuccedat.

En præceptoris verba: Si angina, aut aliquis lateris morbus ægrum divexarit, medicamentis, quæ deglutiuntur, purgato; ſin vero detracto copioſo ſanguine, æger debilior videtur, infundatur clyſter tertio quoque die, donec æger in tuto fuerit (30). Præcordia in tumorem ſublata, non ex ſpiritûs interceptione, ſepti transverſi contentiones, protenſæ ſpirationes, cum erectæ cervicis ſpiratione ſiccâ, quibus pus minimè ſubeſt, potiſſimùm verò jecoris vehementiſſimi dolores, & lienis gravitates, atque aliæ inflammationes, & graviſſimi ſupra ſeptum transverſum dolores, & morborum collectiones, ſolvi nequeunt; ſi quis eas primûm medicamento purgante aggreſſus fuerit: verùm in his venæ ſectio præferenda eſt, deinde ad infuſa per alvum

(29) Epid lib. 7. 1234.

(30) De ratione Victus in Morb. acut. 396.

vum veniendum, niſi magnus & vehemens morbus fuerit, alioqui etiam poſtea medicamento purgante utendum; quod & poſt venæ ſectionem ſecuritate moderatione indiget. Quicunque enim, protinus inter initia morborum, inflammationes medicamento purgante ſolvere tentant, ii de contenta quidem & inflammata parte nil detrahunt, cum nil cedat, quæ adhuc cruda eſt affectio, quæ vero morbo reſiſtunt, & ſana ſunt, contabefaciunt; at debili reddito corpore, morbus ſuperior evadit, qui ubi corpus ſuperaverit, curationem non admittit (31).

Igitur inter initia morborum acutorum non protinus purgare convenit, ſed expectare, donec inflammationis vehementia venæ ſectione dempta fuerit, niſi materia turgens vehementer oſtendit: tum enim quanto ocius educenda eſt purgatio, præſertim, ſi ex acutiſſimis fuerint Febres; nam hic tardare malum eſt (32). Sed & eo quoque caſu, ſi opus ſanguinis detractione futurum ſit, is prius detrahatur; ſiquidem metuit ſemper Hippocrates poſt alvi purgationem ſanguinem demere. Atque haud minus malum eſt purgationes omittere, donec Febres vehementes evaſerint, & vires ægrotantis per morbum detritæ fuerint, & judicationes immineant; nam medicamenta, (ſaltem ea acria, quibus uſi ſunt veteres) inter purgandum Febres vehementer intendunt, corpus animumque perturbant, vires haud parum convellunt, & criticam evacuationem aliorſum vergentem avertunt.

Quam-

(31) Ibid. *396.*
(32) Aphoriſm. 10. ſect. 4.

Quamobrem, id intervallum morbo ineunte purgationi eligendum eſt, quod a Febribus magis liberum eſt. Propter hæc omnia, ſi Febres, diebus imparibus, ut æquum eſt, moventur, & morbus ex acutiſſimis non eſt, quartus dies commodiſſimè purgans recipiet; & is ideò ab Hippocrate plerumque eligitur. Nihilominùs tamen, in omni morbi tempore, dari poteſt medicamentum, & debet, ſi neceſſitas aliqua requirit, & vires ægri, & Febres, & accidentia permiſerint. Hæc utique ſemper in omnibus, pluris quam tempus morbi æſtimanda ſunt.

Vomitus quoque tutiùs poſt venæ ſectionem, ubi ea apta eſt, educitur. Is etiam inter primos dies excitandus eſt; ſed inter initia acceſſionis hæc excretio ſponte ſuâ prodire conſuevit; eo quod hoc tempore bilioſi humores magis in ventriculum concurrant, & ſuperni ventres eleventur: ob quam cauſam, niſi labores maximi ſint, emetica inter initia acceſſionis propinanda ſunt; vel fortè meliùs paulò ante acceſſionem, ita ut peracta ſit vomitio, antequam Febres moveantur.

Minùs autem commodè medicamenta purgantia ferunt Febres acerrimæ continentes, quia hæ nulla libera ſpatia habent. His igitur medicamenta dare non oportet, donec remiſerit Febris, ſin minùs, ſaltem non intra quatuordecim dies; carnes enim ipſorum & ventres quum calidæ ſint, medicamentum aſſumunt, ſed nil inde expurgantur, & Febris major fit, & color alienatur, & morbi regii ſpeciem præ ſe ferunt; commotâ enim bile & non purgatâ, non ſorbere

bere vult æger, neque bibere, ſed omnia abominatur, & plerumque perit (33). Sed hæc quidèm, ut id iterum moneam, à valentiſſimis veterum purgantibus expectanda ſunt, ubi per alvum non dejecta, venas ſubeunt. Porrò, ægrè etiam purgationes ferunt Febres & inflammationes vehementes, antequam venæ ſectione extenuatæ fuerint; tum morbi acuti, in quibus urina aquoſa & tenuis eſt, præcipuè ſi vigiliæ vel vertigines vel capitis pulſationes adſint (34); ex purgatione enim his urina non concoquitur, ſed citrà ſudores, & judicationes, Febres, modò tutæ ſint, diutiùs perſeverabunt. Vitanda quoque eſt alvi purgatio, ubi os amarum, inferiora algida, aliave accidentia, humores corruptos in ventriculum concurrentes oſtendunt; nam ſurſum per os his proximus exitus eſt. Atque etiam, ubi extrema frigida inſtantem acceſſionem præſagiunt, medicamentum malè adhibetur. Periculoſa eſt purgatio iis, qui partes circa imum ventrem valdè tenues & eliquatas habent (35); ſed in morbis pectoris, poſtquam ſputa rejici cocta inceperunt, exitioſa plane eſt: ſputa enim ſiſtit, unde æger, circa judicationes, ſuffocatur (36). Denique omnis evacuatio, ubi aliam opportunam natura molitur, ei ſi impedimento ſit, peſſima eſt.

Ubi itaque viſum eſt alvum liquare, ſed aliquid horum ejus profuſioni repugnaverit, ad infuſa

(33) Lib. de Purgantibus.
(34) De ratione Victus in Acut. 399.
(35) Aphor. 35. ſect. 2.
(36) Lib. 3. de Morbis.

fuſa per alvum confugiendum eſt. Hoc genus præſidii ſemper tutum eſt. Atque inter Febres vehementes, & harum etiam acceſſiones, & protinus inter initia, & circa judicationes, imo cùm critica evacuatio prodire inceperit, adhiberi poteſt (37). Ad ea autem non modò dejicienda, quæ circa ventrem turgent, & ad derivandos à ſuperioribus partibus humores, ſed etiam ad extenuandas ipſas Febres, infuſis per alvum uſus eſt Hippocrates. Alvum autem in peripneumoniâ, ſic ille, primis quatuor aut quinque diebus ſubducere oportet, & hoc paulo ampliùs, quo & Febres obſcuriores fiant, & dolores leniores; quum autem æger evacuatus ſit, & debilis, infernam alvum tertio quoque die deorſùm ei commoveto, quo & corpus valens ſit, & ſupernæ regiones humoris exſortes; nam ſi multus humor a quinto die infrà ſecedat, ſummæ reſiccantur partes, ſiſtuntur ſputa, & ſuffocatio inducitur. Oportet ergo neque infernam alvum valdè ſuppreſſam eſſe, ne Febres fiant acutæ, neque etiam fluidam, ne ſputa ſiſtantur, ægrotique proſternantur vires (38). Itaque ex alterâ parte, in hac re contemplanda eſt Febris vehementia, ex alterâ naturæ robur, & evacuatio, ſi quam natura opportunè molitur; hoc utique alvi ſubductionem recuſat, illud deſiderat: facultatibus igitur utrinque æſtimatis, facilè perſpiciet rei medicæ prudens, quando in alvum infundere expedit.

Refert etiam, ex quânam materiâ clyſma ſit: ſi ea lenis eſt, eluit inferiorem inteſtini partem, fovet-

(37) Id teſtantur loci ſupra citat.

(38) Lib. de Morb. 3. 493.

ſovetque; ſi acris, à ſuperioribus etiam partibus ducit; ita ut, medicamento triplici ferè doſi in ventrem infuſo, non minus validè fundetur alvus, quam ſi idem, iuſtâ quantitate, devoratum eſſet. Ex ſuperioribus autem judicandum eſt, quænam materia, deſiderato clyſtere, ei aptiſſima erit.

Aretæus, qui Hippocrati & medendi & ſcribendi arte tantum cedit, præceptorem quoque in curationibus proximè aſſecutus eſt; adeo ut eum ſua plurimùm ex Hippocrate traxiſſe cenſeat H. Boerhaave. Hic ſemper, inter morbos acutos febriles, inteſtina vacua ſervat; cum id ſolum propoſitum ſit, clyſtere ex materia leni, utiquè ſem. lini, fœnugræci, & malvæ decocto, utitur; ſicut in curandis cardiacis, & venæ & arteriæ dorſalis affectibus. Aliquando. cùm, præter ſtercoris dejectionem, a parte ſuperiori affectâ revellere materiam, aut flatus a præcordiis educere moliatur, ſicut in curatione phrenitidis & peripneumoniæ, acribus alvum glandibus, aut illitionibus continentèr irritat: ſin vero aliquandiu aſtricta manſerit alvus, eam aquâ mulſâ, oleo, & nitro ducit. Acerrimum autem eſt infuſum huic in apoplexiâ probatum, quod præter nitrum, multum euphorbii & colocynthidis recipit. Purgantia etiam per os, ad extenuandas inflammationes, ſicut in anginoſâ paſſione, poſt venæ ſectionem exhibet. Cæterùm is quoque multò ante judicationes, in morbis acutis, evacuantibus, purgantibusque remediis uti præcipit (39).

Anti-

(39) De Curat. acutor. Morborum. lib. 1. cap. 1.

Antiqui medici, exceptâ tantum Eraſiſtrati ſcholâ, ab Hippocrate adusque tempora Aſclepiadis, eam materiam, quæ lædere videbatur, ducendo ſæpius alvum ſubtrahebant. Is autem, licet medicamenta ſuſtulit, cibis tamen & potionibus alvum mollivit, & clyſtere etiam, non quidem ſæpè, ſed in omni fere morbo ſemel vel bis ſubduxit (40). Hoc præſidio is utitur, ſi caput grave eſt; ſi oculi caligant; ſi morbus majoris inteſtini eſt, (quod Græci κῶλον nominant); ſi in imo ventre, aut coxa, dolores ſunt; ſi in ſtomachum bilioſa quædam concurrunt, vel etiam pituita eò ſe, humorve aliquis, aquæ ſimilis, confert; ſi ſpiritus difficiliùs redditur; ſi nil per ſe venter excernit, utique ſi juxtà quoque ſtercus eſt, & intús remanet; aut ſi ſtercoris odorem, nil dejiciens æger, ex ſpiritu ſuo ſentit; aut ſi corruptum eſt, quod excernitur; aut ſi prima inedia Febrem non ſuſtulit; aut ſi ſanguinem mitti, cum opus ſit, vires non patiuntur, tempusve ejus rei jam præteriit; aut ſi multùm ante morbum aliquis potavit; aut ſi is, qui ſæpè, vel ſponte, vel caſu, purgatus eſt, ſubitò habet alvum ſuppreſſam. Servanda vero illa ſunt, ne ante diem tertium ducatur, ne ullâ cruditate ſubſtante, ne in corpore infirmo, diuque in adverſâ valetudine exhauſto, neve in eo, cui ſatis alvus reddit quotidie, quive eam liquidam habet, neve ipſo acceſſionis impetu; quia tum, quod infuſum eſt, alvo continetur, regeſtumque in caput multo gravius periculum efficit: pridiè vero abſtinere debet æger, ut aptus tali curationi ſit; eodemque die ante aliquot horas, aquam

(40) Celſus in lib. 2. cap. 12. & lib. 3. cap 4.

aquam calidam bibere, ut ſuperiores ejus partes madeſcant, tum dejicienda alvus eſt: ſi levi contenti ſumus, purâ aquâ; ſi pauló valentiori, mulsâ; ſi leni, ex aquâ, in quá fœnum græcum, vel ptiſana, vel malva docoƈta ſit. Acris autem eſt marina aqua, vel alia ſale adjeƈto, atque utraque decoƈta commodior eſt, acrior fit, adjeƈto vel oleo, vel nitro, vel melle. Si acrior eſt, eo plus extrahit, ſed minùs facilè ſuſtinetur (41).

Multâ cautione in hac re uſus eſt Aſclepiades, atque multâ ſane opus eſt; cùm inediâ abſolutâ trium omnino dierum, vaſa prius fuerint exinanita, & vires eâ, luce, & vigiliâ, convulſæ, corpusque digeſtum. His utique infirmati validas per alvum evacuationes ægerrimè ſuſtinent. Quamobrem omnes, qui Aſclepiadem in ratione cibandi ſecuti ſunt, medicamenta damnaverunt, & a clyſteribus etiam frequentibus & acrioribus abhorruerunt. Quod apud Celſum, Cæliumque Aurelianum, videre eſt. Sed omnium primus Chryſippus, Eraſiſtrati præceptor, ſanguinis miſſionem & purgationem alvi rejecit, quòd corpus per inediam pariter atque per iſta præſidia juxtà evacuari perſuaſus fuerit (42).

Vomitum quoque, in iis Febribus quas bilis concitat, neceſſarium judicat Celſus: ergo omnibus, qui ante Febres horrore & tremore vexantur, omnibus qui cholerâ laborant, omnibus etiam cum quadam hilaritate inſanientibus, utilem exiſtimavit. Sed aſperioribus medicamen-

F 2 tis

(41) Celſ. loc. citat.
(42) Galen. de V. S. adverſus Eraſiſtrat.

tis opus non eſſe edicit: & eodem authore, ſi quid corruptum eſt, nil commodius eſt, id, quâ viâ primùm expelli poteſt, ejicere; itaque ubi amari ructus cum dolore & gravitate præcordiorum ſunt, ad vomitum protinus confugiendum eſt; idem prodeſt ei cui pectus æſtuat, & frequens ſaliva, vel nauſea eſt, vel cui ſonant aures, aut madent oculi, aut os amarum eſt (43).

Hæ molles curationes admodum tutiores ſunt vehementioribus illis, quibus veteres uſi ſunt. Noſſe autem oportet, hic ut nullum periculum, ita levius præſidium eſſe, nec poſſe vehementi malo, niſi æquè vehemens auxilium ſuccurrere. Atqui Hippocratis præcepta, de expurgandâ materiâ turgente inter Febres, fuſiùs exponere, atque confirmare ex recentiorum obſervationibus juvat.

Igitur in eâ Febre, quam maximè exquiſitam, ex omnibus ſibi obſervatis, duxit Sydenhamus; bilioſam certe dixerat Hippocrates; æger plerumque animam tantum non agebat, vomituriebat, lingua ſicca & nigra, ingens ac ſubitanea virium proſtratio, & partium externarum ſiccitas, urina ubique vel craſſa vel tenuis, utraque, ex æquo, cruditatis indicium. In morbi declinatione diarrhæa, niſi fortè medicus in principio obſtitiſſet, ſuperjungebat; unde morbus pervicacior redditus, diutius adfligebat; ſed ſuopte ingenio, ac propriâ indole, vix ultra diem decimum quartum, vel viceſimum & unum perdurabat; quo primum tempore oborto ſudore, aut potius leni madore, morbus ſolvebatur.

Cura-

(43) Celſ. lib. 1. cap. 3. & lib. 2. cap. 13.

Curatio hujus talis fuit; ubi Febres vehementes & vires & ætas integræ ſunt, primum (inquit author) in curatione locum V. S. attribuo. Poſt venæ ſectionem, ſollicitus ſedulusque inquiro, numquid ægrum vel vomitus, vel inanis aliqua vomendi propenſio, ſub Febris initium, interturbaverit? Id ſi contigerit, omnino medicamentum emeticum præſcribo; niſi vel ætas tenella, vel inſignis aliqua debilitas, ab eo temperandum ſuaſerit. Sane vomitorium propinare, ubi iſtiusmodi prægreſſa eſt vomendi proclivitas, adeo eſt neceſſarium, ut, niſi humor ille expellatur, in ſentinam complurium malorum difficilium ſit abiturus, quæ crucem figent medico, toto durante medicationis tempore, ægrumque in haud leve periculum conjicient. Ex horum præcipuis & maxime ſolitis eſt diarrhœa, quæ utplurimum, in deferveſcentiâ Febris conſequitur, quotiescunque emetica, quando ea ſuadebat indicatio, omiſſa fuere. In Febris quippe progreſſu, ubi malignum in ventriculo humorem nonnihil ſubegerit natura, & ad inteſtina amandaverit; illa ab acri humore, & ex hoc in ſtomacho fonte perpetim ſcaturiente, usque adeo corroduntur, ut non poſſit non inſequi diarrhœa. Jam autem in eo verſatur iſtiusmodi diarhœæ periculum, quod æger ſatis jam morbo debilitatus, enervatur ulterius, & ſudores illi lenes, qui has Febres diſcernere conſueverunt, penitus hac evacuatione præpediuntur.

Jam vero nequid dubites, humorem hunc in ventriculo nidulantem, niſi forte vomitu eliminetur, hanc tragœdiam (diarrhœam dico) quaſi ex inſidiis aliquanto poſt daturum, inquiſitione inſtitutâ, nunquam fere non comperies,

ſi quando Febrem diarrhœa comitetur, ægrum in morbi principio in vomitum proclivem fuiſſe, nec tamen emeticum fuiſſe propinatum. Porrò etiam compertum habebis, etiamſi proclivitas illa ad vomendum jampridem præterierit, diarrhœam tamen, quamprimum vomitorium exhibueris, plerumque ceſſaturam.

Emeticum, quale paſſim a me propinatur, recipit infuſ. croc. metallor. ℥vi. oxymel. ſcillit. ſyr. ſcabioſ. comp. ana ℥ſs. (& hoc quidem ex acrioribus eſt).

Sæpe miratus ſum, qui factum fuerit, ut ægri tantum levaminis exinde ſenſerint; nempe, vomitu peracto, ſæva illa ſymptomata, nauſea, anxietas, jactationes, ſuſpiria luctuoſa, linguæ nigredo, &c quæ & ipſos excruciarant, & adſtantes perterrefecerant, mitigari ſolent & ſolvi, quodque morbi reliquum eſt *εὐθύμως* tolerari.

Exhibendum eſſet vomitorium ipſo plane Febris initio, ſi quidem optio daretur; ita enim fiet, ut ab horrendis illis ſymptomatibus ex humorum in ventriculo locisque vicinis deliteſcentium illuvie ortum ducentibus præmuniamus, imo vero & fortaſſe morbum ipſis quaſi incunabulis opprimamus; qui aliàs cum ægroti periculo grandeſcet, & longævus evadet; nutritus nimirûm dictis humoribus, qui vel ſubſtantiâ ſuâ in penitiores corporis partes transmiſſi, cum ſanguine commiſcentur, & ex ipſâ mora pejores facti, atque venenata pravitate inquinati, ex foco ſuo jugiter pertranſeunti ſanguini malignam auram afflabunt. Hujus autem rei cholera morbus exemplum nobis exhibet; ſi enim intempeſtiva opera vomitus in illo morbo cohibeatur, humores

res acres corruptique, qui evacuandi eſſent, hoc pacto repulſi, vires ſuas & ſævitiam in ſanguine exercent, Febremque accendunt, quæ ut mali moris, & gravibus ſymptomatibus ſtipata eſſe ſolet, ita niſi propinato emetico tolli vix poterit, ægro jam ne quidem vomituriente.

Quod ſi nobis, ut ſæpè fit, ſerò accerſitis non licuerit emeticum inter initia Febris propinare, certè tamen convenire exiſtimaverim, ut quovis morbi tempore id fiat, modo vires ferant.

In Febribus tumultum ab emetico concitatum opio ſedare oportet.

Vomendi exantlato negotio, ubi vehementiam Febris ulterius extenuare opus fuerit, poſtridiè emetici exhibiti enema præſcribo; idque, ſi ſanguis nimis exæſtuet, ſingulis vel alternis diebus, prout res poſtulaverit, repeti jubeo, ad usque decimum morbi diem. Verum, ſi magna vis ſanguinis miſſa fuerit, vel æger ſit ætate provectâ, enemata nulla impero, etiamſi ſanguis multum efferbuerit; ab iis enim metuendum eſt, vim ſanguinis tantum relaxari, ut impar ſit natura, criticè morbum depellere. Elapſo vero decimo die, cum jam idoneis his evacuationibus æger extra periculum poſitus fuerit, quantum ad illa ſymptomata attinet, quæ ex nimiâ ebullitione oriuntur; mox ad adſtringendam alvum memet accingo, atque negotio tunc temporis ad ſecretionem vergente, medicamentis calidioribus liberalius indulgendum cenſeo; quibus concoctio acceleratur, & judicatio citius peragitur, quæ circa 14 diem hâc methodo utplurimum evenit. Verum ſi refrigerantia quælibet ſerius adhibueris, atque ita, eorum ope,

efferveſcentia ſufflaminetur; mirum non eſt, ſi Febris ad viceſimum primum, quin & in effœtis corporibus malè tractatis multo longiùs excurrat.

Illud porro obſervatu dignum eſt, quandoque accidere ut æger clyſterum aliorumve catharticorum uſu, circa inclinationem morbi intempeſtivè præſcriptorum, parum alleviari videatur; imo nonnunquam apyrexiâ omnimodâ frui, poſt diem autem unum, alterumve, ſenties novam Febrem accendi, quæ idem ſtadium ac prior decurſura eſt, niſi forſan in intermittentium claſſem ſe reponat (43).

Hæc adeo multa ex Sydenhamo exſcripſi, quod ad unguem Hippocrati in curationibus aſſentiatur; ita ut jurares ab hoc illum ſua omnia hauſiſſe: vel, ſi id non fuerit (ut fama percrebuit) utrumque ab eadem magiſtra, natura utique, ſuam artem didiciſſe, veriſimillimum eſt.

Hujus autem medendi methodi commoda ulterius proſequar, oſtendendo, quæ detrimenta, ex neglectâ vel malè inſtitutâ materiæ turgentis expurgatione, eveniunt.

Iisdem annis, quibus Febres à Sydenhamo deſcriptæ, in Anglia vulgares fuerunt; ſimiles ferè Piſis in Italiâ, plurimos invaſerunt, multosque letho dedere. De his ita Borellus: Communiter incipiunt hæ Febres typum Febrium tertianarum ſimplicium habentes, cum capitis ſtupiditate, dolore ſtomachi, oris amaritudine; in ſeptimo Febris non intermittit, in undecimo fit maligna, & quibus alvi fluor non ſuccedit, ante vel poſt decimum quartum diem, moriuntur.

(43) De Feb. contin. Ann. 1661. &c.

tur. Atque alvi fluor, à periculo non liberat, niſi bilis copiam ſubducat. Cæterum non modo in his Febribus, ſed omnibus aliis nunc graſſantibus morbis, nullus evaſit absque ſpontaneo aut promoto alvi fluore. Citra Febres quoque oris amaritudo ſæpe atque ſæpius adeſt.

In quatuor cadaveribus, quorum ſectionibus interfui, nulla notabilis læſio in pulmonibus viſa eſt, exceptâ aliquâ ariditate, ab ardore febrili fortè inducta; in reliquis ſani apparuere. Meſenterium pariter, & glandulæ in ipſo contentæ, nec putridæ nec corruptæ erant, ut dubitabatur; ſubſtantia quoque hepatis & lienis nullâ læſione afficiebatur. Veſica tantùm biliaria inſignitèr turgebat, & inſuper ventriculus eodem humore bilioſo affluebat, & in aliquibus inteſtina flavo colore tincta inventa fuere. Hoc eſt illud totum, quod adhuc usque obſervatum fuit in omnibus hujusmodi morbo extinctis. Cunctis magnâ ſiti, & ventris dolore, laborantibus. Nonnullis delirio, oris amaritudine, vomitibus, inquietudine magnâ afflictis, poſt alvi fluorem levamen ſecutum eſt.

Patet nullius auxilii eſſe ſanguinis miſſiones, quia nulli, qui periit, deerat hujusmodi remedium, etiam ad tertias vices repetitum. Neque plus auxilii tulerunt veſicantia; etenim omnes ad tumulum, brachiis, pedibus, & aliis partibus ulceratis, delati fuerunt. Hic in uſu non ſunt magnæ purgationes; ideo earum fructus ignoratur. Sed bilem contemperare non ſpir. vitrioli & ſulphuris nituntur, & ope clyſterum ſubducere, nonnunquam medicamentum minorativum propinare audent. Si ex his dejiciatur bilis copia, ſpes eſt; é contrà, metus. Declarat

rat id Antonii hiſtoria; purgato enim eo, deterritus eſt medicus, quia non obſervaverat effectus, quos ipſe per ſeceſſum & alia præſidia deſideraverat: poſtea autem magna bilis copia per alvum expurgata, atque deinde poſtero die ex altero clyſtere excreta, remanſit is ſatis liber, hilaris, & ſereno capite, Febrisque diminuta eſt (44).

Quam ineptæ fuerint, cum venæ ſectiones tum veſicantia cuti admota, ad humores corruptos circa ventriculum hærentes educendos, unicuique palam eſt; parum quoque valent clyſteres, vel etiam medicamenta minorativa dicta, Bili è veſica evellendæ: ſi autem in inteſtinum jam natura exinde depulerit, utiles quidem ad eam ſubducendam proculdubio ſunt; ſed hoc non ſemper fuit, & plurimi, nil obſtante hâc medicinâ, ſuccubuiſſe videntur, & vel eo quod bilem copioſé non profudiſſent. In hujus enim unica profuſione ſalus. Non poſſum quidem non mirari, quo peritiſſimi viri in ſecandis corporibus, & uſibus partium inveniendis, Malpighius utique & Borellus, bilem à veſica (cum intra bilem totum morbum ſiſti vidiſſent) emetico exprimere & ventriculo educere, minimè ſenſerint. Certè æquum eſt ex hiſtoria mali cenſere, ob neglectum emeticum plures interiiſſe. Sed id magis admirandum eſt, quòd nemo medicorum ex Hippocrate (cujus nomen in omnium medentium ore eſt) intellexerit, materiam turgentem commoda purgatione educere.

Cæte-

(44) Ex Epiſt. Borell in Oper. poſthum. Malpig.

Cæterùm præter bilem alii humores interdum etiam turgent, & haud minora vitia quam bilis pariunt Qui maximam infantum partem affligunt, & e vivis tollunt morbi, ab acido humore circa primas vias ſtabulante ortum ducunt, ut author quidem fuit Gualter. Harris. Poſt hunc igitur eorum morbos, exhibendo alkalica dicta, ad contemperatum dejiciendo per alvum, fere curant medici. Quando acidum ſubeſt, hypochondria acerbi dolores, aut ventrem tormina affligunt.

Pituita quoque corrupta ventriculum & inteſtina laceſſere poteſt. Id quidem evidens eſt in morbo, qui colicus Damnoniorum dictus eſt: Quamobrem, & propter affinitatem, quam cum alia paſſione poſtea proponenda in quibusdam habet, ejus hiſtoriam, ex authore qui de ſuis popularibus optimè meritus eſt, ſummatim perſtringere non gravabor.

Quovis autumno morbum iſtum colicum apud Damnonios videre eſt: quibusdam vero annis maxime vulgaris is eſt, at ubi vulgatiſſimus fuit, nullum corripuit, qui neque poma cibo, neque eorum ſuccum crudum potione devoraverat; alvum vero aſtrictis graviſſimus fuit.

Exorſus eſt morbus ab angore ventriculi, dolore in epigaſtrio vehementi, pulſu debili & inæquali, ſudore frigidiuſculo, lingua interim muco erat obducta ſubviridi aut fuſco, halitus autem fœtidiſſimus; ſubſecutus eſt vomitus enormis bilis viridis, nonnunquam atræ, magnâ ſemper pituitæ quam maximè acidæ & valde tenacis comitante copiâ. Hiſce per diem unam alteramve perſiſtentibus, acceſſit alvus adſtricta admodum, imminutâ deinde paululum vomitione

tione, deſcendebat dolor, & umbilici regionem atrociſſimè torquebat, deinde ſpinam & lumbos; cedentibus ventris torminibus, augebatur ad ſpinam dolor, isque jam per totum dorſum ad humeros usque excruciabat, brevique inde brachia invadens, juncturis præcipue fixus hærebat, motumque deſtruebat manum prorſus; femora quoque, & crura haud multo leniores eodem tempore paſſa ſunt cruciatus. Dum ab inteſtinis ad membra tranſiret morbus, pulſus vibrabat fortior, atque febricitabant levitèr ægroti. Nonnulli etiam hoc morbi ſtatu delirabant; his limpida fuit urina; & ſi per totum morbum urinam pallidam ſine ſedimento reddidiſſent, hos ſubitò corripuit vel diſtenſio nervorum, vel delirium, aut manuum paralyſis. Cum morbus jam artus occupaverat, ſudor multus fœtidus, acidum ſpirans, dolores lenivit; & ſi quis dolor ventris etiamnum permanſerit, eo diffluente, evanuit. Quibusdam autem, nil obſtante multo ſudore, manus reſolutæ ſunt. Aliquando cum ſudore benigno plurimæ eruperunt puſtulæ rubræ prurientes, eæque per totum ferè corpus; tum omnes dolores ſe mox ſubduxere. Hic fuit equidem optimus morbi exitus; at frequentiùs longè colicum dolorem excipiens rheumatiſmus, rheumatiſmum viſcerum tormenta, alternà vice miſeros diu mactabant: morbo nunc ad artus, nunc in inteſtina translato. Aliqui, at perpauci, diù multúmque hoc morbo afflicti, inſultibus epilepticis correpti, fato ſuccubuere.

Ad vehementes dolores ſedandos venæ ſectio aliquando tentata prorſùs inutilis fuit, ſed grave penè animi deliquium arceſſebat. Optimum hujus morbi præſidium fuit vomitus, interdum

terdum ad quartam usque vicem alternis diebus elicitus, quo & maxima copia pituitæ tenacis, circa ventriculum ſtabulantis & inteſtini ſuperiorem partem, educitur, nec non bilis corrupta penitùs expurgatur. Aliquandò ex peracta vomitione ceſſant, ſaltem pro tempore, artuum dolores. Cum jam vomitus conquieverit, quod exhibitis paregoricis citò efficitur, danda ſunt protinus medicamenta per alvum purgantia cum anodynis: hæc etiam ſæpiùs repeti debent; nam ſi quis alius morbus, hic profectò, frequentem purgationem & alvum diù ſolutam requirit. Inſupèr ad delendum, quod in venis vitium eſt, multa diluentia ingerere, & deinde ſudores copioſos provocare oportet. (hucusque ex illo) (45).

In hoc affectu, neminem latere poteſt, quòd vitium primò ventriculum, deindè inteſtina, affligat; a quibus mali ſucci in venas deferuntur, & articulos mox occupant, nervos potiſſimùm ibi lædentes: ad abſcedendum autem per cutem poſtea apti nati ſunt; ſiquidem ſudores, & puſtulæ morbum diſcernunt. Urina etiam, in qua multum ſubſidet, aliquid ab eo ſubducit. Pituita vero corrupta, propter acrimoniam acidam ex pomis ſibi adjunctam, ſingularia quædam accidentia infert. At citra pomorum vel fructuum acidorum uſum, pituitoſa colluvies circa ſtomachum inteſtinaque haud raró colligitur. Unusquisque inter curationes medicas verſatus, procul dubio obſervavit, quantam pituitæ copiam emetica, ventriculo imbecillis & malè concoquenti-

(45) J. Huxham. in opuſcul. de Colico Damnon.

quentibus exhibita, educunt. Atque pallidas quidem virgines ferrum intra venas non recipere devorantes, antequam pituita a primis viis exturbetur, notum eſt. Poſſe & hanc materiam corrumpi nemo inficias ibit; ſed ex hac ſæpe proficiſci Febres lentas nervoſas vix aliquis, credo, (quoniam res nova eſt) facile admiſſurus eſt. Hiſtoria autem morbi & accidentia, quæ eum concomitantur, id mihi ſaltem probabile reddiderunt.

Lentæ utique Febres, in regionibus minus æſtuantibus, conſtitutione humida, circa loca uliginoſa, frequentiſſimæ ſunt. Imbecillos aut natura, aut caſu, aut mœrore exercent; tum eos qui pravo crudoque victu, præcipue cucumeribus & melonibus, veſcuntur. Idem quoque hominum genus, eidem victus rationi &c. aſſueti, præſertim ſi alvus ſtrictior fuerit, in Germania purpura infeſtantur (46). Id autem obſervatu maxime dignum eſt, quod in Scotia, circa Dumfries, dum Febres nervoſæ vulgatiſſimæ eſſent, illæ ne unum cibis lautis vinoque deditum occupare viſæ ſunt (47). Pauciſſimi præter infimum genus hominum a Febre petechiali apud nos graſſante correpti ſunt.

Nonnulli ſenſim minus minusque valent; cibos faſtidiunt, vel male concoquunt, & animo marcent, antequam Febris palam invadat: maximam autem partem homines levi vagoque horrore, incerto lenique calore, ſub initio corripiuntur; accedit ſimul laſſitudo, torpor, & oſcitatio; deinde præcordiorum oppreſſio, nauſea, gra-

(46) Hofman. Med. rat ſyſt. T. 4. Sect. 1. cap. 9.
(4) Medical Eſſays, &c. Tom. 4. Art. 23.

gravitas capitis, aut vertigo quædam. Pulſus equidem frequens eſt, & plerumque debilis & inordinatus. Calor autem inſignis haud unquam excitatur; ſed, dum ſuperiora calent, inferiora frigeſcunt. Poſt hæc, obrepente malo, quosdam habet cita alvus cum torminibus; multos vero ſudores inæquales, nil morbum levantes, corporisque impotentia: ſed omnibus indies caput magis tentat malum, jamque aut loqui aut moveri piget, & vel ſopore nimio, vel vigiliis mirè anxiis, & fere perpetuis, detinentur; intra verba deſipiunt, ſubſiliunt tendines, ſudores frigidiuſculi, inconſtantes, aliquando vero profuſi maximè, glutinoſi, &, ante mortem, haud rarò gelidi, contingunt; ſtragula contrectant ægri, floccosque carpunt, pulſus exilis eſt & formicans; denique perpetua ferè & frigida ſuſpiria certiſſimam inſtare mortem denunciant. Lingua inter has Febres humida muco ſubalbido obducta eſt, niſi media in parte, ubi & arida & fuſca fit. Tenuem plerumque reddunt colore urinam, ſaltem non magis tinctam, quam proſpera valetudine eſſe debet, aliquando limpidam, haud rarò ſubnigram, ſæpeque aſperum albidumque ſedimentum ineſt.

Papulæ rubræ, copioſæ, floridæ, aut plurimæ puſtulæ miliares turgidæ, ſtatu morbi erumpentes, bona præſagiunt: præcipuè ſi accedunt ſputa liberalia continua, aut multæ craſſæ ſubſidentes urinæ. At nonnunquam prima puſtularum miliarium meſſe decidua, ſerotina viget, idem iterum iterumque, per plurimarum ſeptimanarum intervallum repeti aliquando viſum eſt; incerto tum plerumque ægri fato. Juvat etiam circa judicationes ſæpè lenis diarrhœa, blan-

blandus perſæpe juvat per omnia membra diffuſus æqualis tepidus ſudor. Judicatione ſuccedente pulſus fit plenus, valens, & bene ordinatus; atque, ſi talis non ſit, vix convaleſcit æger, vel ſaltem morbum recidivum patitur. Eadem ferè de pulſu in Febre militari obſervavit Hofmannus (48). Hoc quidem his Febribus proprium eſt; nam in Febribus acutis & ardentibus absque præcordiorum vitio, pulſus ante judicationes magnus eſt, & vehemens; poſt judicationes vero minùs valens & lenior.

Lenta Febris peſtifera eſt ſemper, ubi aphthæ nigræ aut petechiæ fuſcæ, atræ aut vibices apparent; præſertim ſi accedit alvus cita, plumbea, nigra, colliquans, aut ſudores oleoſi.

Hæc lentæ Febris hiſtoria eſt (49): omnia quidem in illam ducentia, ex iis ſunt, quæ ventriculum & inteſtina colluvie pituitoſa infarcire conſueverunt. Deindè unumquodque ferè accidens, quocum initio ſtipatur Febris, inter notas materiæ turgentis ab Hippocrate ponitur, excepto ſolo pulſu, quem is ſemper neglexit: ſed Galenus pulſus obſcuros & malé ordinatos ex notis eſſe ventriculi a crudis humoribus male affecti ſtatuit (50). In hac quoque affectione, ſicut in morbo colico damnoniorum, corrupta pituita, prima tragœdia circa ventriculum agitur: non ſuccedunt autem ſolenniter inteſtinorum tormina, quia hic pariter non inſunt acidi ſales;

(48) Med. Syſt. T. 4. ſect. 1. cap. 9. §. 6.

(49) Contexitur maximam partem ex Huxham. Diſſert. de Febre nervoſa & Tractat. xxiii. Tom. 4. Act. Medic. Scot. Brit.

(50) Method. medend. Lib. 12. Cap. 3.

ſales; ſiquidem ex omnibus humoribus vitioſis acidi inferendis doloribus aptiſſimi ſunt. Id autem aliquando obſervatum eſt: in Febre utique peticulari Coloniæ graſſante infeſtabat ægrotantes ut plurimum hypochondriorum, ſed præcipuè ſiniſtri, dolor, qui, quod notandum, per lumbos ſecundum ſpinam dorſi aſcendens, lancinansque, ad ſcapulas extendebatur; illi non raro ſe præbebat comitem pleuritis, vel angina. Dolor ille naſcitur, authore Donckers, ex vitioſis ſuccis, & flatibus à ventricolo deſcendentibus, cum inteſtina occupaverint; ea autem inteſtini pars, quæ à ſiniſtro rene antrorſum aſſurgens in varias flectitur incurvaturas, (progreſſu materiæ hic loci difficiliori,) præ cæteris obſidetur: exinde autem vitium vaſa lactea ſubiens, & ad venam ſubclaviam properans, dolorem juxta lumbos & ſpinam concitat; tandem ſanguine admixtum haud infrequenter inflammationem pulmonum, laterum, fauciumve inducit, vel cerebrum obſidet, aut meliore fortuna ad cutem defertur (51).

Ad hæc, puerperas ideo in Febres exanthematicas & purpuratas tam frequentèr incidere credit Hofman. (52), quòd primas vias a ſordibus graviditatis tempore contractis non convenientèr pharmaco expurgaverint: quando enim prima regio corruptâ & impurâ materiâ obſeſſa eſt, levis animi affectus, aut ira, aut terror, vel improvida corgoris refrigeratio illam commoven-

(51) Idea Febris Petechialis.

(52) Med. Syſt. T. 4. S. 1. cap. 9. & ob. 5.

vendo, & ſanguini invehendo, Febrem exanthematicam concitat. Vel forſan, ut mihi videtur, motus, calor, & turbatio, quæ in partu contingunt, vel febricula, lactis proventum præcurrens, congeſta recrementa potiſſimùm corrumpunt. Quòd humores vitioſi ab inteſtinis ad cutem deferri apti nati ſint, olim novit Hippocrates; ſiquidem iſte notat, quòd ſuppreſſo bilioſo alvi profluvio, ſi faſtidium ſit, exanthemata circa cutem efflorescent, oculi quoque inflammantur & illachrymant (53). Exanthemata autem, hac ratione concitata, aliquando miliaria fuiſſe, obſervatum eſt in Germania; nam in acutis Febribus, variolis, & morbillis, ſi alvus diutiùs aſtricta eſt, vel diarrhœa contingens ſiſtatur, purpura ſubſequi ſolet (54). Si Febres catarrhales malignæ, & exanthematicæ alvi fluxu ſolutæ fuerunt, ægri à purpuræ albæ incurſu immunes perſtiterunt, quæ haud raro, declinante morbo, non ſine magno periculo, ſupervenit (55). Quemadmodum autem in morbo ſuperiori colico mali ſucci, ab inteſtinis in venas translati, artus protinùs occupant, ita in hac Febre nervoſa caput potiſſimum petere videntur. Singularis enim cuique materiæ eſt indoles, qua alia hanc, alia illam partem obſidet; quod quidem obſervatu facile, explicatu vero difficile eſt. Obrutis autem ſopore, pulſus neutiquam tardus & plenus fit, ſicut in aliis morbis ſoporoſis ſentiri ſolet; & ob eam forte cauſam, quòd ventriculus hic laborat, a cujus affectionibus pul-

(53) Coac. Prænot. (208.)
(54) Hofman. l. c. obſerv. 7.
(55) Idem ibid. cap. xi. obſ. clin. §. 4.

pulſus parvus, frequens, & inæqualis, individuus eſt. Sic quidem ſpiritus rarus & magnus proprium delirii accidens habetur; at delirantes crebro, minimeque alte ſpirant, quando alia quædam affectio (puta inflammatio circa thoracem) ſpirationes breves efficiens, delirio accedat (56). An igitur tum primum liberantur primæ viæ, ubi pulſus circa judicationes plenus & valens tangitur? talis utique conjectura veri non abſimilis eſt; nam in illo morbo colico, de quo dictum eſt, quamprimum dolor inteſtina deſerit, pulſus fortior vibrat. Atque hæ Febres per evacuationes criticas non finiuntur; vel, ſi deſierint, iterum redeunt, cum pulſus non inſurgat: fonte enim circa primas vias inexhauſtô, nova materia in ſanguinem, ad jacturam expulſæ reſarciendam, derivabitur. In promtu igitur ratio eſt, cur Febres lentæ tam diu ſæpe inhæreant, totiesque revertantur, etiam poſtquam probabili judicio decretæ ſunt; nempe cum pituitoſa colluvies ſensim corrumpatur, & corrupta demum in venas tranſeat, longum erit intervallum, antequam tota (modo copia ejus adſit) hac ratione abſumetur. Atqui licet ea, quæ intra venas eſt, urinâ, ſudoribus, & exanthematibus efferatur, nova iterum, brevi intervallo, a primis viis ſanguini admiſcebitur. Hiſce omninò conſentit experientia; etenim ex obſervatione Germanorum, in quorum regione Febris miliaris, prius quam in noſtrâ afflixiſſe creditur, conſtat, quod id morbi genus ex alvo inter Febres ſtrictiori pabulum nanciſcatur, & longius

(56) Galen. de diffic. Reſpirat. Lib. 2. Cap. 4.

extrahatur (57). Quinetiam ex noſtris medici nonnulli per alterum ferè menſem, vel ultra, haud raró perſtitiſſe Febres miliares viderunt, ubi intra provocationem ſudorum, ſtricta interim alvo, curatio inſtituta fuerit. Sudores quidèm, fateor, quod in venis hic vitium eſt, educunt; ſed non impediunt, quominus materia corrupta a primis viis ei ſuccedat, imo potius eam promovent. Porro inter Febres lentas, ex obſervatione J. Huxham. (58), haud raró pituita, tenax admodum, totas adeò opplet fauces, ut ſtrangulationem penè minitetur; dato autem emetico, quocunque demum morbi tempore, mirum eſt, quantum levamen hoc affert ægrotis, quam immenſa vis glutinoſæ colluviei, albumen ovi referentis, & ſæpè vel eo multo craſſioris, ejicitur; ex quo mox ſæpe aphthæ, coma, nauſea, ſingultus, linguæ terrifica nigrities faceſſunt. Et dubitabimus adhuc, an pituita talia vitia concitaverit; quum ea educta illicò ferè ceſſent? Nec minus utilis eſt, eodem authore, alvi purgatio ſub morbi finem, interpoſitis ſubindè cardiacis, & paregoricis; criſim enim naturæ, utcunque imperfectam, promovet: imo facit ſæpe, ut Febris, quæ hucusque nullum certum ſervabat ordinem, remittentis plane, aut intermittentis typum induat. Atque ita non diarrhœam aut dyſenteriam, quas tantopere timent nonnulli, inducit, ut hoc modo præcaveantur optimè. Hæc ille. Minimè verò expectare oportet, uti opinor, donec pituita eous-

(57) Hofman. l. c. cap. 9. Ob. clin. §. 5.

(58) J. Huxham. Diſſert. de Feb. nervoſa.

eousque turgeat, ut in ipſis faucibus conſpiciatur: ſigna equidem ſunt haud incerta pituitæ ventriculum laceſſentis mox â morbi invaſione; fruſtrà autem unico emetico a pituitâ tenaci & viſcoſâ liberare totas primas vias moliuntur medici: cujus rei (ne longius abeamus) exemplum curatio colici morbi luculentum nobis exhibet. Neque ad inclinationem usque morbi commodo purgantium careat æger; eo enim tempore, detritis viribus, evacuationes ægriùs feret. Quocunque vero morbi tempore ad educendum malum inteſtinorum farcimentum Febrisque fomitem, utilia eſſe poſſunt purgantia; modo imbecillitas non deterreat, neque natura in extrudendo vitio per cutem occupata ſit. Id ſcimus, ſi puſtulæ circa cutem extantes, vel ſudores tepidi per totum corpus diffluentes, præcordiorum afflictiones ſedaverint, & pulſus pleniores effecerint; tunc enim religioſè a ſolvendo alvum abſtinere oportet, donec puſtulæ recedant, vel Febris ipſa quieſcat. Efflореſcentibus enim exanthematibus, purgantia vitioſos a cute ſuccos ad præcordia revocant, qui ibi hærentes, pectoris oppreſſionem, anguſtias, inquietudinem, anxietatem, pulſus obſcuros & frequentes, impotentiam corporis, atque animi, excitant. Cùm autem hæc nil obſtiterint, purgantia quoque morbi tempore propinavi, ex quibus minimè concidiſſe vires, ut vulgò timetur, ſed præcordia levata fuiſſe, pulſusque invaluiſſe, ſæpius obſervavi. Non quidem mihi in uſu eſt alvum fortitér ducere, ſed ſubindè medicamento, quod rheum aloemque recipit, leniter exturbare; mediis autem intervallis veſicantibus & paulo calidiori medicinâ arterias ad validiores motus incito,

cito, & ſimul ſudores lenes moveo. Interim etiam viribus vino & juſculis conſulo. Hac enim ratione vitium, & a venis & a primâ corporis regione, evocare molior. Cæterùm hanc methodum mihi fauſtè ceſſiſſe affirmare poſſum; atque aliis, qui experiri haud aſpernantur, ceſſuram, vel melius quam vulgata ea, quæ in ſudoribus exprimendis tota eſt, ſpondere audeo. Vellem quidem quod purgantia vomitiones a tergo protinus inter initia ſequerentur, dum & vires valent, & vitium nondum altas radices in venas egit; & deinde ſuccederent remedia, quæ motum ſanguinis incitant, & ſudores eliciunt. Si quando Febris a purgatione intermittat, (quod haud raro accidit, ubi morbus fuit inveteratus) facile cortici cedit.

Hæc autem vel ideo non admittent nonnulli, quia neque vetuſtatis ſanctione, neque ſplendidi nominis authoritate, ſuffulciantur: ut his aliquantulum ſatisfaciam, oſtendere operam navabo, quod id genus morbi, licet novo nomine Febris nervoſa dicta, olim & viſa fuit, & methodo huic non abſimili a medicorum principibus curata.

Igitur, quasdam a pituitâ putreſcente concitari Febres medici paſſim agnoverunt; has autem, licet genio non abhorreant, diverſis nominibus diſtinxerunt. Deſumptâ quandoque denominatione a quotidiano exacerbationum reditu, Quotidianas dixerunt; quandoque Epialas, utique cum calor & frigus ſimul ægrum tentent; ſed, quum interiora æſtuent, & extrema algeant, Leipyrias (59); quum in animi defectiones proclives

(59) Galen. Lib. 2. de Feb. different.

clives fuerint ægri, Syncopales humoroſas (60); tum a materiâ, ex qua ortæ ſint, Febres ex cruditate (61); atque ex ſede morbi fomitis, Febres Gaſtricas & Meſentericas (62): ſed & alia nomina præter hæc apud Arabes reperiuntur. In confeſſo tamen apud omnes eſt, quòd hujusmodi affectus concitentur per humorem crudum, lentum, tenacem, circa primam corporis regionem corruptum; & quod ideo imbelles, frigidi, otioſi, malè concoquentès, aut crudo victui aſſueti, his vitiis opportuni ſint.

De hoc morbi genere in lib. 12. methodi medendi, & cap. 3. agit Galenus: Febricitare incipiunt nonnulli, inquit, unà cum oris ventriculi offenſione, ubi maximam crudorum ſuccorum copiam, vel ex cruditatibus, vel aliâ occaſione, congeſſerunt: his & præcordia inflata, & corpus tumidius videtur; color aliquando pallet, aliquando in lividum inclinat: ſemper autèm pulſus minores ſunt, quam pro caloris ratione; obſcuri quoque, omninòque inæquales. Ad hæc animi defectio ferè inſtat, facillimeque accerſitur. Cum enim (ut ipſe alio loco diſſerit) præ craſſitie, copiâ lentoreve excrementi, vel meatuum ſtipatione, vel ſuâ ipſius infirmitate, natura nequit excernere omnem humorem pravum; is diutiùs cunctans, neceſſe eſt, ut corrumpatur; nullus enim alius humor talis manere poteſt, qualis initio; nedum is, qui adeo vitioſus eſt, ut amplius naturæ cultum recipere

(60) Avicen. Lib. 4. Fen. 1. Tract. 2. cap. 53.
(61) Holler. de morb. intern. lib 2.
(62) Ballonius & Baglivi.

non poſſit (63). Hiſce adjicit Ballonius; itaque pituita, ſicut & alius humor, in ventriculi regione cunctando, vitium acquirit, & utroque modo naturæ gravis, vitæ noſtræ ſtamina videtur præcidere; præſertim ſi os ventriculi, aut natura, aut alio modo ſit delicatius; eoque plus negotii datur, quo magis ille humor movetur & putreſcit. Ut inde vires ſæpe vacillent, ac labaſcant, quod ſæpe in Febribus quotidianis apparet, aut quas pituita aut acida aut vitrea procrearit; nam & pulſus parvus, & urinæ confuſæ alias & crudæ, ἐφίδρωσις, defectiones animi, virium languor, apparent; quæ omnia terrifica ſunt, & ab audendo ſolent medicum avocare. Sicut enim in tertianis Febribus, Leipothymiæ ob mordacis bilis affluxum contingunt; ita in Epialis ob contumacem materiam languores & exiguæ animi defectiones cernuntur. Quicunque enim morbus ventriculum occupat, is cum virium imbecillitate ſemper junctus eſt. Caput etiam ſæpiſſimè unà cum ventriculo pati conſuevit (64). Ad hæc, Febres, ex pituitâ ortæ, non repentè & vehementer irruunt, ſed ſensim & leni refrigeratione, dum ſinceræ ſunt, invadere ſolent; calor deinde pedetentim augeſcit, & magnâ quidem inæqualitate; ita-ut mòdo calor, modò frigus ſentiatur. Sed neque in ſtatu multum ardorem & cutis ariditatem concitant. Urina plerumque colore diluta eſt, aliquando aquoſa, ſed raro ſanâ coloratior; ſæpe autem conturbatur, & ſedimentum craſſum, divulſum & aſperum ineſt (65). Hujusmodi Febres ſæpe incidunt,

(63) Lib. 2. de different. Feb. cap. 5.
(64) In Tract de morb. mulier. cap. de Epial. Feb.
(65) Holler. l. c.

dunt, diu inhærent, & quamvis fere debiles ſint, periculo non vacant. Siquidem ad malum faciei colorem, urinarum cruditatem, pulſuum inæqualitatem & parvitatem, ſi acceſſerint etiam totius corporis gravitas, tarditas, motus mentis, & ſenſuum hebetudo, de remediis cogitandum non eſt, authore Hollerio, & de morte prænunciandum; multo magis, ſi qua ſubſit inflammatio ventriculi, vel hepatis; illic enim & crudorum ſuccorum plenitudo eſt, & vires admodum infirmæ; a quibus, & ſyncope & mors expectanda eſt.

Cum itaque affectus, a ſuperioribus noſtris pituitæ corruptæ, aſcripti, & ex eadem occaſione ortum ducant, & idem genus hominum corripiant; & eadem accidentia habeant, atque Febres nervoſæ, vel ſaltem ea ipſa, quæ has ab omnigenis aliis maxime diſtinguunt; ſiquidem præcordiorum afflictio, cordis oppreſſio, pulſus parvi & obſcuri, corporis ſubita impotentia, animi marcor, & in defectionem proclivitas, ſenſuum tarditas, febres debiles diuturnæ periculoſæ, urinæ crudæ pallidæ, phlegmaticis pariter atque nervoſis Febribus juxta communes ſunt; æquum eſt igitur ut concludamus, hæc nomine tantum, non re differre; & ſi quam differentiam aliquando exhibeant, eam quidem ex regione, conſuetudine, vel omnium maxime a curatione plane diverſa, oriri veriſimile eſt.

Curationem autem quod attinet, haſce paſſiones tolerare poſſe ſanguinis profuſionem ex magno conſenſu negatur, niſi qua ſubſit inflammationis, vel Febris calidioris nota: Arabes itaque, rubro tinctâ colore urinâ, aliquid ſanguinis demere ſub initio auſi ſunt; de quo auxilio

mentionem Græci non injiciunt; quippe qui de affectione ſimplici tantum egerunt. Hi quoque inſuper a purgante medicamento abhorrent, ubi pulſus parvi & inæquales fuerint, & magna virium imbecillitas, ne animi deliquium accerſeretur. Attamen, protinus inter initia mulſam, in quâ decoctum fuit hyſſopum, vel quid ſimilis virtutis, tum ad extenuandam pituitam, tum ad eam per alvum expurgandam, præbebant; ſin alvus per mulſam non liquata eſſet, dejectionem clyſtere moliebantur; citatam autem ſinebant, ad detrahenda ſupervacua, quouſque vires ſuſtinerent; quibus interim idoneo cibo, vinoque ſuccurrebant; ſimul continuis ferè frictionibus adhibitis. Arabes autem, qui fuſiùs de eo morbi genere ſcripſerunt, ubi animi defectiones non omninò deterrebant, præter hæc, vomitum raphano excitari, ſeu maximum præſidium, ubi nauſea fuerit, aut ſapor in ore alienus, voluerunt. Pituitam quoque extenuantia, & per alvum, non validè quidem, expurgantia medicamenta, probaverunt; dederunt quoque ea, quæ ventriculo & inteſtinis roborandis præſtant; tum etiam aliquandò diuretica. Porro, ex recentioribus medicis, Ballonius, inclinante morbo, ſudores elicere conſulit: ſudores autem moventia, eodem authore, ſub initio non proſunt, quia materiam crudam in venas raperent.

Jamque ſatis ſuperve multa de materia turgente licet dicta ſint; nihilominus tamen huic argumento non ſatis feciſſe mihi videbor, ſi omnino præterierim, quæ de hac materia ſcitè propoſuit eximius in exercitio artis vir Baglivius. In his brevitatis ſtudens, ejus verba non ſemper

ſemper ſeverè tenui, ſententiarum præterea ordinem mutavi.

Vulgus medicorum & vulgus hominum eas vocat malignas Febres, quæ variis graviſſimisque ſtipantur ſymptomatibus, ruüntque continuò in deteriùs. Dantur aliquando proculdubiò Febres a venenato fermento productæ, ſed raró eæ viſuntur. Malignæ autem, quæ nobis videntur, ex viſcerum inflammatione, & ab apparatu pravorum & crudorum humorum, vel in primis viis, vel in maſſa ſanguinis, concitantur. Quando ego ſolus ægrotorum meorum curam ſuſcipio, raró tales malignas Febres obſervo, ſed, inceptâ ab aliis curatione, neque ſecundùm oracula naturæ, neque divina ſenis præcepta, mille differentiæ & gravia accidentia occurrunt, quæ frequentèr ſoboles ſunt methodi depravatæ, non veró naturæ morbi, licèt hæc paſsim ac quotidiè in praxi ſuccedant. Succedit etiam, ut pluries vidi, dari Febres nonnullas in ipſo principio, graves ſtatim & periculoſas: has vulgus vocat malignas, & veneni cauſâ aromatica, alexipharmaca, calida, volatilia propinat, & mille id genus, quibus, quod præcavere volunt periculum, advocant & augent.

Romæ pravorum & crudorum humorum apparatus frequentiſſimi ſunt in primis viis, non ita in ſanguine, qui Febres producunt, quas Meſentericas dico.

Inter ſigna, quæ talium humorum apparatum in primis viis denotant, ſequentia ſunt, patientèr obſervando acquiſita. Os amarum, ſapor in eo alienus, lingua ſordibus obſeſſa, nauſea, præcipuè horis matutinis, halitus olens, dentes luridi & conſpurcati, ſtercora multum fœtida, &

& ſpiritus infra erumpens graviſſimus. Caput aliquandò nutat & gravitat, aliquandò continuè dolet cum gravitate & pulſatione circa tempora, quæ poſt prandium & cœnam magis urgent; aures ſonant; urinæ naturales, vel non multum a naturalibus abludentes ſunt. Febres poſt prandium quoque & cœnam augentur, & ordinem Febris duplicis tertianæ continuæ obſervant. Calorem aut in volis manuum, aut pedum, aut circa hypochondria patiuntur; appetitus decidit; vultus pallet; alvus exſiccatur. Digniſſimum obſervatione, quod caput in his paſſionibus magis patitur, quam meſenterium morbi ſedes Hypochondriacis & ventriculo imbecillis graviora accidunt mala, ſi humores nimium corrupti ſunt; lingua ſtatim nigreſcit; pulſus exiles ſunt, extrema frigeſcunt; anxietates, & id genus accidentium urgent; quæ vulgo malignitati imputantur, ſed hic falſò, quia eductis & contemperatis humoribus ventriculum laceſſentibus, protinùs ceſſant.

In Febrium Meſentericarum curatione, inutile eſt vim dierum criticorum obſervare; nam cruditas morbi in vehementiâ ſymptomatum conſiſtit, coctio vero in illorum remiſſione. Quando vel minimùm remittere, & miteſcere accidentia, obſervo, ſtatim purgationem inſtituo, eamque frequentèr repeto; clyſteres etiam injicio, & totam dirigo curationem in educendo per purgationes meſenterico apparatu, interpoſitis quidem ſtomachicis remediis, ut aq. theriac. rutæ, &c. At patientia opus eſt; humores utique crudi in glandulis meſenterii hærentes, (ita quidem ille credidit) lentè & paulatìm educuntur; ergo ſtomachica digerentia interpono,

pono, ſicque curantur hæ Febres felicitèr Romæ.

Poſtquam autem is ulteriori experentiâ edoctus erat, in curationis methodo aliquid mutavit. In principio Febrium quoties de purgatione res agitur, inquit, obſervare ſtatim ſoleo, an in primâ regione pravorum humorum congeries adſit, cum magnâ humorum turgeſcentiâ: ſi id ex notis animadverto, purgationem probo; nam putris cachochylia, niſi tempeſtivè educatur, peſſimè ægrum in poſteris affliget; eodem vero tempore uſurpanda ſunt, quæ digerendis humoribus apta ſunt. Si quædam ad vomendum propenſio ſit, emetica ducentibus alvum medicinis admiſcenda ſunt, ſed civibus jam Romanis non benè cedunt: itaque ſingulis vel alternis diebus alvum decocto ſenæ, & ſyr. rhei expurgo. Si poſt quinque horas ab aſſumpto medicamento, alvus non reſpondet, clyſtere ſollicito. Totum ventrem quoque decocto calido cichorei, agrimoniæ, altheæ, & nitri foveo. Si æger purgationibus impar ſit, clyſteribus quotidiè utor. Quolibet mane jus pulli cum cichoreo & ſem. citri contuſis exhibeo, præterea & aquam theriacalem, vel alia ſtomachica. In his ægrum usque ad ſeptimum diem contineo; poſt ſeptimum denuò obſervo, quam periodum, & cum quibus ſymptomatibus aſſumit Febris, & methodo cuilibet neceſſariâ occurro.

Id autem pro certo dicam, me præfatâ medendi methodo, Febres cum apparatu humorum, quas voco Meſentericas, circa decimum quartum, vel ad ſummum, viceſimum primum diem, tollerè. Salutis vero ſpes circa nonum vel undecimum

decimum illuceſcit. His Febribus cort. Peruvian. ſummopere obeſt.

At contrà, ſi vel minima ſuſpicio appareat acuti & inflammatorii morbi; cujus notæ ſunt lingua arida, urina rubra, calor ingens per totum corpus cum ſiccitate cutis, ſitis magna, &c. a purgatione omninò abſtineo. At in his etiam Febribus, ſi dolor ſit ad præcordia, & apparatus pravorum humorum, licet obſit purgatio morbo primario, attamen cauſâ turgentis materiæ a purgatione curatio incipienda eſt (66). Eamdem quoque Ballonio fuiſſe ſententiam video; is alias Febres eſſe venoſas, alias eſſe gaſtricas, notavit; quæ venoſi ſunt generis, hæ primo quoque tempore per V. S. ceſſant, quæ alius ſunt generis, non facile V. S. ſolvuntur, & contra cathartico egent (67).

Quinetiam in Febre petechiali, experientia comprobatum eſt multiplici, purgationem ventris ineunte morbo ſummum fuiſſe remedium; purgationis quidem neceſſitatem, (ut verbis utar medici in curanda ea Febre longe feliciſſimi) & bonos effectus non tantum ſuadet ratio, ſed experientia etiam mihi confirmavit adeo frequens, adeo certa, ut ſi hæc falſa ſit, aut eſſe poſſit, nulla certa aut ſit, aut fuerit, aut futura eſt, (hæc ille) (68). Uſurpanti quoque mihi id genus præſidii Febre patechiali, apud nos hoc tempore epidemica, ex votis ſucceſſit eventus. Imo novi

(66) Hæc omnia apud Baglivium ſunt, in lib. 1. Prax. medic. cap. de Febribus malignis & meſentericis & in Epiſt. ad D. Andry.

(67) Ballon. lib. 2. Epidem.

(68) Donckers. id. Feb. petech.

novi aliquoties, ubi vertigo, gravis dolor capitis, inſignis præcordiorum oppreſſio, multus mentis corporiſque languor, in hac conſtitutione cum Febre ingruentia, per eam medendi rationem protinus ſubmota fuerint, ſuppreſſa Febre petechiali in ipſis incunabilis; ſic quidem videtur, cum hæc ex præcipuis ſint notis, quas aliquis ineuntis habere poteſt morbi. Atque inhærente penitùs Febre, lenis alvi per rheum ſubductio, præſertim ubi antea aſtricta fuerat, veternum, delirium, inquietudinem, & tendinum ſubſultus interdum profligavit; quæ iterum tamen brevi intervallo redibant, niſi alvus ſponte perſtabat tenera, aut ſubinde per medicinam emollita eſſet. Sed inveterato fateor malo minus certum erat auxilium, imprimis ubi medicina calida ventrem diutius conſtipans, quicquid erat in eo vitioſi & maligni humoris, ad venas deduxerat, jamque cerebrum, & in præcordiis viſcera eodem oppreſſa erant. Raròque admodum ulli remedio id vitii auſcultavit.

Ex his omnibus apparet, quam diverſa ſit materiæ turgentis indoles, quantaque mala cum circa præcordia hærens, tum in venas delata, febricitantibus inferat. Atqui anxietas, animi abjectio, mentis angor, corporis impotentia, præcordiorum & viſcerum dolores, æſtus, atque Febres, quæ a vitioſis humoribus circa ventriculum confluentibus naſcuntur, prius non ceſſabunt, (ut monuit Hippocrates) quam vitium contemperatum ſit, vel commodâ purgatione eductum. Igitur ex ejusdem præceptione, ubi materia turget, (apud nos frequentiſſime turget) cûm ad delenda accidentia ex præcordiorum af-

flictio-

flictione exercentia, tum ad præcavenda iſta ex vitii in venas delatione expectanda, medicamento purgante inter initia morbi utendum eſt.

Id autem hic monere juvat, affectum inflammantem, aut eryſipelatoſum, praecordia, ventriculum, inteſtina, aliquandò occupare, qui pariter atque aphthoſa earundem partium ulceratio, quasdam habet materiae turgentis notas; ſed vomitum, & validam purgationem, difficultèr haec ferunt; prudentiſſimi inde decepti fuerunt medici. Sydenhamus utique adverſus dolorem capitis acerrimum, & vomituritiones immanes in conſtitutione ad peſtem vergente, emetica infauſtè adhibuit. In ſtatu quoque peſtilentiali multis alvus bilioſa, & pinguia, & liquida demittebat, & tormina cum doloribus aderant; itemque convolutiones malignae, multis in corpore exiſtentibus, & ſuppreſſis; at neque exeuntia dolores tollebant, atque ad ea, quae adhibebantur, non facilè habebant: nempè plurimos purgationes magis offendebant, quapropter, qui ita habebant, mortui ſunt, & plerique quidem ſubito (69). Veriſimile eſt, quod his ignes ſacri, tunc temporis vulgatiſſimi, inteſtina obſeſſerint.

Praeterea illa altera purgandi ratio, ab Hippocrate ad extenuandas, poſt venæ ſectionem, inflammationes, inſtituta maximorum medicorum habet ſuffragia.

Chirurgi quoque optimi, tam veteres quam novi, ad ſolvendas inflammationes externas, poſtquam vehementia æſtus venæ ſectione levata

(69) Lib. 3. Epid.

vata eſt, purgantia præbent. Quando igitur videtur vel ipſis oculis, nil potentiùs ab externis inflammationibus detrahere, idem auxilium internis inflammationibus, ubi venæ ſectio non tutò iteratur, vel ægrè admittitur, aptiſſimum eſſe concludere licet. Præ cæteris vero inflammationes partis ſuperioris extenuat; ſed minimè aptum eſt morbis pulmonum & laterum, fortè quòd ſputis impedimento ſit futuris. A pleuritide aut peripneumonia occupato, alvi profluvium accidens malum eſt (70). Lippientem alvi profluvio corripi bonum (71). Surditatem fluxus alvi bilioſus ſolvit (72). Tubercula circa aures ventris profuſio æquat.

Eſt autem quædam Febris ſpecies, quæ huic curationi maximè opportuna eſt. Eam utique intelligo, in qua ſanguis detractus lentâ cruſtâ obducitur; neque tamen calor acris eſt, neque pulſus vehemens, ut in Febribus ſinceris inflammantibus fit (73). Proclivis hic affectus eſt, tum ad phrenitidem, tum coma, tum anginam, tum morbum lateralem, tum peripneumoniam, tum dolores rheumaticos; præſertim ubi calidiore medicinâ ſanguinis curſus acriter urgetur. Attamen, repetita ſanguinis miſſio non adeo felicem ſorti-

(70) Hip. aph. 16. ſect. vi.
(71) Ib. aph. 17.
(72) --- aph. 28. ſect. iv.
(73) De hujusmodi affectione agit Sydenham. in cap. de Peripneumonia Notha in poſtſcript. ad Tractat. de hydrope & ſchedul. monit. Ramazzinus etiam in Conſt. epid. anno 1691.

ſortitur eventum, & inter initia ſudorum expreſſio periculoſiſſima eſt. Quotannis fere, præſertim ineunte vere, ſparſim occurrit, quibusdam autem annis admodum vulgaris eſt morbus.

Nimia ſanguinis ad concreſcendum diſpoſitio maximum in his videtur eſſe vitium, ob quam cauſam minus aptus eſt ad tranandos anguſtos cerebri, pulmonum, & aliorum viſcerum, ductus; ſed cum vi adigatur, nunc hic, nunc ibi hærebit. Si vero ſanguinis nimium detrahatur, humoribus ad ſuperandas extremas arterias deerit vis neceſſaria.

Imminutâ ſanguinis copiâ V. S. purgantia hunc lentorem ſine multa humorum agitatione, aut virium dejectione comminuunt, ſolvuntque. Ea ad tertiam usque vicem, alternis diebus propinans, adverſus hujusmodi affectus feliciſſimo ſucceſſu adhibuit Sydenhamus. Poſt purgationem ad turbas inde natas compeſcendas, laudanum utiliſſimum eſſe is invenit. Hujus ſententiam, jam ſenis, & multiplici experientiâ freti, de hac medendi methodo proferre haud dubitabo. Cum autem, inquit, catharſis iſthic imperata, curationi hujus Febris obeſſe nonnullis fortè videatur, pro comperto affirmo, nil ita certo, atque ita potenter, ægrum refrigerare, atque catharſim poſt V. S. celebratam; — & porro, teſtatur enim experientia catharſim, modo poſt eductum ſanguinem tentetur, quibuslibet aliis remediis felicius certiusque Febrem domare, &c. — Has itaque ob cauſas, & prudenti, uti ſpero, fiduciâ adfirmare lubet, quod dicta methodus curationis per venæ ſectionem & purgationem expediendæ, plus alia quavis præſtabit,

bit, in Febribus quamplurimarum ſpecierum expugnandis (74).

Ubi autem ſanguis inter initia Febrium rutilus eſt, tenuis, & nimis diſſolutus, ſicut in Febribus exactè putridis; purgantia, quæ ſanguinem liquant, vehementer nociva eſſe videntur. At leniora, quæ alvum tantum exturbant, vel potius clyſteres ex leniſſimâ materiâ, temperando cum motum arteriarum, tum ſanguinis calorem, egregiè juvant.

Hæc qua ſcire potui ex præcipuis ſunt, quæ purgantia ante Febris concoctionem deſiderant, aut commodè recipiunt, aut ægrè ferunt. Circa judicationes autem uſum habet id genus auxilii, ubi materia morboſa excerni per cutem inepta eſt, ſi eam neque cum urinâ eliminare, neque in abſceſſum relegare, moliatur natura. Bilioſa quidem & purulenta, per cutem minimè evacuari, ſed per alias vias efferri conſueverunt; ita quos ſexto die morbus regius prehendebat, ipſos per veſicam expurgatio, aut commota alvus, aut larga ſanguinis e naribus profuſio, ſublevavit. Quale quid Heraclidi contigit; is enim largum e naribus ſanguinem profudit, & alvum conturbatum habuit, & per veſicam expurgatus eſt (75). Atque in conſtitutione peſtilentiali, illud Febribus inerat, ut quæcunque per inflammationem abſcederent, ſi vel inſignis aliqua alvi turbatio, aut probarum urinarum transmiſſio extitiſſet, per ea ipſa ſolutio procederet; ſin quibus nil horum contigiſſet, vel temerè & ſine ulla ſignificatione ſolutionis

(74) Schedul. Monitor, &c.
(75) Stat. 3. lib. 1. Epidem. (951).

evaneſceret, ea mortem inferebant (76). Adhæc, vix quenquam, graviter variolis correptum, ſalvum fieri vidit celeberrimus vir Richardus Mead, (qui tot in hoc morbo curavit) niſi cui declinante Febre aut largiter profluens urina, aut reſolutus venter ſaluti fuit (77). Purulenti denique abſceſſus haud raro per urinas & dejectiones exhauriuntur, ſed infrequenter admodùm per ſudores. Ob has itaque rationes materiâ purulentâ in variolis ſub exitu morbi copioſè ſanguini admiſtâ, cúm neque per renes excernatur, neque in artus pro dignitate morbi abſcedat, nunquam non utilis eſt alvus cita; præſertim cum in hac paſſione ſpiracula cutis obdurata, exitum etiam materiæ perſpirabili negent.

At non modo in variolis, ſed in omnibus ferè cutis aſperitatibus, recedentibus papulis, poſtquam pro ratione morbi conſtiterunt, purgatio plurimum confert.

Febres quoque bilioſæ, quæ ſub initio, oris amaritudine, cibi faſtidio, nauſeâ, anxietate, & præcordiorum oppreſſione infeſtantur, ſub incremento & ſtatu, vigiliis, delirio, jactationibus, ſurditate, flaviore cutis colore, ſi quidem bilioſi humores circa ventriculum concurrentes non expurgati fuerint, bilioſâ alvi profuſione ſponte natâ vel arte concitatâ judicantur. Id palam fuit in conſtitutione epidemica Piſis, anno 1661, de qua ſupra. Longè vero melius eſt, ut materia turgens morbo ineunte evocetur.

Denique purgatio poſt Febrium diſceſſum probatur, ne relicta intus aliqua materiæ morboſæ parti-

(76) Stat. peſtil. lib. 3. Epid. (1083.)
(77) Epiſt. ad J. Friend. de purgant. in variolis.

particula morbum recidivum faciat. Ex Febribus, putridæ, æſtivæ & autumnales magis inflammatoriis & vernalibus redire ſolent. E contrà purgatio Febres intermittentes cortice Peruviano inhibitas ferè ſemper revocat.

Cæterum dejectiones crebræ, tenues, copioſæ, ſi neque Febres ſolvunt, neque accidentia leniunt, comprimendæ ſunt. Vires enim convellunt, morbi concoctioni obſtant, & naturalibus & criticis excretionibus impedimento ſunt. Hinc vel mortem accelerant, vel ſalvâ vitâ morbos protrahunt & graviores reddunt. Aliquando autem in malis morbis accidit, quod snbilioſæ dejectiones valde obſint prodeuntes, ſed magis noceant repreſſæ. In his ubi vomitus, purgatio, & ſucci vitioſi contemperatio fruſtra fuerint uſurpata, alvum ita moderari oportet, ut ex altera parte virium ruina, ex altera maligni humoris intra corpus retentio, præcaveatur.

COMMENTARIUS OCTAVUS.

De Sputorum Rejectione. De Cura item adverſus Pulmonum & Lateris Inflammationem.

Ubi ſpiratio difficilis, pectoris oppreſſio, tuſſis multa, ſpiritusque æſtuoſus, pulmones in Febribus inflammatione obſeſſos ſignificaverint, ejusmodi paſſionem per ſputa finiri ſperavit Hippocrates. Is quoque in morbo laterali ad ſputa ſummopere attendebat; & huic quidem affectioni peripneumonia ſæpe admodum accedit: tum propriæ inflammati pulmonis notæ ultra lateris dolorem contingunt. Vidi equidem, cum ejusmodi eſſet morbus, dolorem lateris ex proba ſputorum rejectione primùm quieviſſe, & deinde ſpirandi difficultatem &c. atque id certe, cùm neque evacuatio celebrata eſſet, neque fomentum adhibitum, quo dolor ille leniretur. Pleuriticorum dolores ſtatim ſponte deſinunt, authore Hippocrate, ubi commodè expurgati ſputa cœperint (1). Ad ſolvendos itaque laterum dolores inflammatorios apta ſunt ſputa. Non hic ſingulares inveſtigare oportet vias, per quas materia latus affligens a ſede ſuà in pulmones deferatur; cum non per alias, quam venas & arterias, ejusmodi materia ab inflammatis pulmonibus ad crura aliasve partes aliquando abſcedat, vel mediantibus urinæ ductibus, aut inteſtinis, ex corpore efferatur. Sed pleuritidem con-

(1) De vict. rat. in morb. acutis. (385).

concitans materia, minimè per pulmones educi poteſt, priusquam a ſua ſede expediatur: quamobrem curationem eo dirigere, ut ſputa eliciantur, dum intra latus totus ſiſtitur morbus, ineptum planè eſt. Contrà, ubi materia a latere extricata pulmonem ſubierit, verſusque aſperas arterias vergat, idem tentare utiliſſimum. Pulmonum gravitas tuſſisque ex ejus rei notis ſunt.

Sputa multa prorſus inter initia aliquando extunduntur, quæ ſenſim exinde concoquuntur; ſæpius autem poſt quartum diem apparent, & haud rarò tardiùs humeſcere incipit morbus.

His paſſionibus ineuntibus, vel ſaltem antequam ſputa cocta ſunt, ſanguinem detrahere, & alvum ſubducere, oportet, quoties Febris, doloris, & inflammationis vehementia, aut paſſionis accidentia, requirunt. Cùm autem ſputa proba facilè expurgari incipiant, a quacunque aliâ evacuatione inſigni abſtinendum eſt: ita tamen, ſi Febres nimis acres ſint, clyſter lenis ad eas extenuandas, monente Hippocrate, ſubinde admitti debet (2).

Inſtitutis evacuationibus idoneis, ſi ſputa intus remanent, & ſpirandi difficultas urget, & nullæ notæ ſunt, quòd aut per alvum, aut per renes, natura morbum ſubmotura ſit, aut in abſceſſum relegatura; omnia, quæ promovent ſputa, tentanda ſunt. Igitur, in difficultate ſpiratio-

(2) Lib. 3. de morb. (493).

rationis quamdiu morbus ſiccus eſt & vehemens, æger ab omnibus ſorbitionibus prorſus continendus eſt; eo enim victus genere magis ſtrangulabitur, quamobrem hìc pariter, atque in Febribus vehementiſſimis, victu exactè tenui juxtà opus eſt. Is ſit maximam partem ex mulſâ ſimplici, cui aliquid aceti haud malè interdum admiſcetur: id genus victus & ad ſputum educendum, & ſpiritum faciliorem reddendum, aptiſſimum eſt. Adhæc autem, vinum album dulce concedendum eſt (3). Ex medicamentis confert illud, quod nucem pineam, galbanum & mel atticum recipit, vel quiddam ſimilis virtutis (4). Ubi autem morbus gravior eſt, & pulmo ſtridet, & tuſſis vel abeſt, vel, quæ intus in pulmonibus ſunt, ſputa educere nequit, acerrimum acetum cum melle perquam tepidé ſorbillatum aliquando prodeſt (5). Extremum vero hujus paſſionis remedium eſt emeticum validum. Si pro ratione, inquit Hippocrates, exſpuere non valet, ex medicamentis ſurſum educentibus dato. (& deinde.) Medicamenta ſurſum educentia, ſexto & ſeptimo & nono die propinato, ſit autem medicamentum veratrum album, &c. Quod ſi ſputum non probe expurgetur, & ſpiritus fuerit frequens, & purgatio non prævaleat, prædicendum eſt nullam ſpem vitæ reliquam eſſe, utique ſi purgatio nil efficere poſſit (6).

Ad

(3) Hip. de rat. vict. in morb. acut. (386) (393 & 94).

(4) Ibid. (402).

(5) Loc cit. (393).

(6) Lib. 3. de morb. (493).

Ad educenda quoque ſputa in morbis ſuppuratis, idem præſidium adhibetur. Sic quidem Metoni pure in pulmonibus latente, quum ſputa non exirent, datum fuit medicamentum, quod bilioſa per ſuperna eduxit. Is tertio die poſt aſſumptum pharmacum purulenta expuebat, & quadrageſimo die ab ægritudinis initio repurgatus eſt, & intra alios 35 dies ſanus evaſit (7).

Lateri autem dolenti medicinæ parens fomenta admovere conſuevit. Dolorem lateris (ſic ille) ſive ab initio, ſive poſtea, fomentis quidem diſſolvere tentandum eſt: ex fomentis optimum eſt aqua fervida in utre, ſeu veſica, aut vaſe æneo, aut teſta. Atqui ſi aqua in vaſe duro ſit, molle aliquod corpus, quale eſt lana, interponendum eſt. Si humidum magis deſideratur, ſpongia mollis amplaque aquâ fervidâ expreſſâ commodè adhibetur: ſtragulis quidem fomentum contegere oportet; nam diuturnius ſic ſufficiet, ſimulque præcavebitur, ut vapor moleſtus ægro non ſit; niſi ex hoc quid commodi expectetur, aliquando enim confert. Inſuper autem hordeum & ervum in aceto diluto, ita ut paulo acidius ſit, quam quis bibere poſſit, diſſoluta & fervefacta in marſupia conjecta, apponere oportet; convenit eodem modo & furfur uſurpatus. Siccum vero fomentum præbent ſal & milium torrefactum, quæ in laneis ſaccis admovenda ſunt. Diſcutiunt autem talia fomenta non modo dolores lateris ſub ſepto transverſo,

(7) Lib. 7. Epid. (1234).

ſo, ſed eos etiam, qui ad claviculam pertingunt (8).

In aliis etiam affectibus fomenta ipſe probavit. Ita Metoni, quia poſt judicationem cum pervigilio præter rationem loquebatur, hoc præſidium adhibitum eſt; ille quidem a capitis perfuſionibus quievit, & mente conſtitit (9). Morbis capitis, anginoſis paſſionibus, &, ut verbo dicam, omnibus inflammationibus & doloribus auxiliantur fomenta. Singulare profectò fomenti genus adverſus anginam, & quosdam uteri affectus adhibetur; vapores ſcilicet, qui ex diverſa materia ſecundum vitii indolem parantur. Hujusmodi fomentum contra anginam tonſillas occupantem, & ex lento humore natam probatur; atque poſt neceſſarias evacuationes optimum quidem hujus paſſionis remedium eſt; ſputa enim educit, & tumores validiſſimè diſcutit. Recipit id nitrum, origanum, & naſturtium, quæ aceto & pari aquæ copia excipiuntur, & pauxillum olei inſuper admiſcetur. Tali autem artificio uſurpari debet. Sumitur olla, quæ hac materia ad duas tertias plus minus implenda eſt, ollæ deinde operculum exactè adaptatur, cujus umboni perforato arundo ſemicubitalis vel paulo altior immittitur, adeo operculum cum arundine infundibulo noſtro haud abſimile erit. Ollæ, his ita paratis, ſupponendus eſt ignis, donec ebulliat humor; tunc detracto igne

(8) De rat. vict. in morb. acut. (387).
(9) Lib. 1. Epidem. ægrot. 7.

igne vas ſavillis obruendum eſt, ut adhuc prodire perſtet vapor, ſed minus urens, is autem per arundinem in locum affectum dirigendus eſt (10).

Præterea, ſi conjicere liceat, ea paſſio, cui auxiliari vaporem aquæ cum ſpiritu hauſtum medicus innuit, peripneumonia eſt; ubi ſputa craſſa difficulter extunduntur, vel omnino retinentur.


Balnei etiam utilitates, quo totum corpus commodè foveri poteſt, in lib. de vict. in morbis acutis recenſentur; ſed tunc temporis paucis inter morbos acutos balnei fuit opportunitas, & hodie apud nos nusquam eſt.

Sed ut eo redeam unde digreſſus ſum. Ubi ſævire perſtet lateris dolor, licet ſanguis idoneâ detractus copiâ, aliaque præſidia incaſſùm tentata fuerint, ad cucurbitulas, antè ſummâ cute inciſâ, confugiendum eſt. In vetuſtiori caſu Celſus, & poſt ſeptimum diem Aretæus hoc remedium probavit (11). Hic etiam ad calefaciendas carnes, & eliciendos ſudores, multam flammam ſub cucurbitulâ accendi præcipit, & ſanguine deinde pro ratione dempto, ſal & nitrum linteolo unguine madefacto injecta, vulnuſculis admove-

(10) Lib. 2. de morb. (469), & Lib. de morb. mulier. (548).

(11) Celſ. lib. 4. cap. 6. Aret. acut. morb. curat lib. 1. cap. 10.

moveri, tum poſtero die cucurbitulam iterum accommodari vult: Secunda enim cucurbitula, eodem authore, ichores evocat, & magis adjumenti, quam prior, adfert. Ubi vero ſanguinis miſſio haud deſideretur, utpote inanitis vaſis & languentibus viribus, cucurbitulas ſiccas, & veſicantia ſedi dolenti admota, valde proficua fuiſſe novi. Fauſto quoque ſucceſſu, in pertinaci paſſione veſicantia, poſt cucurbitulas inciſæ cuti impoſita ſunt.



COM-

COMMENTARIUS NONUS.

De Morbi Derivatione per Urinæ Ductus.

Profluvium crudæ urinæ nequaquam Febres ſolvit. Id autem læve, album, æquale, quod in urinâ coctâ ſubſidet, modo inſigni copia, & conſtanter prodeat, hoſce morbos ſemper extenuat & ſubmovet. Huic quidem ſigno maximè fiſus eſt Hippocrates, eoque ſecundum rationem ſuperveniente, morbi ſolutionem brevi expectavit; & rarò admodum fallit hoc indicium, ubi curatio ad ejus præcepta dirigitur. Quòd ſi data eſſent medicamenta, haud minus certò urinam moventia, quam alia alvum ducunt, aut ſudores eliciunt, vix aliquid iis proficeremus adverſus Febres, niſi ea probabile ſimul ſedimentum eduxerint: ſed tota curatio, ad optimam rationem inſtituta, urinarum concoctionem maximè promovet.

Ubi autem materia Febrilis exitum petit in primis per veſicam, ſedimentum multum, craſſum, quaſi purulentum, urinæ ineſſe conſuevit, quodque in tranſitu per urinæ vias haud rarò difficultatem parit. Hoc in caſu, medicamentum aliquod ex iis, quæ urinam citant, præbere oportet, tum potiones idoneas majori copiâ exhibere, tum ductus urinæ, fomentis foras juxta renes admotis, & clyſteribus lenibus per alvum infuſis, laxare; alioqui venter ſiccandus eſt, cutisque denſandâ; & hoc quidem ne ſeroſi humo-

humores, quibus materia Febrilis elui debet, a renibus avertantur.

Cæterum ad educendos ſales lixivioſos, oleum urinoſum, & ſerum corruptum, magnopere neceſſarium eſt, ut urina inter Febres ſemper probè exeat: iſtis enim iter ſolenne per renes conſtituit natura, ſed hæ ſordes longe majori copiâ in Febribus, quam integra valetudine, gignuntur, uti experimentis Helmontii, & Browne Langrish, pro certo ſcimus (1). Iis vero retentis, quod fit, ubi urina ſiſtitur, vel aquoſa redditur, peſſima vitia, uti omnes norunt medici, capiti imminent. Ad has ideo vel eluendas ſordes, potiones in Febribus uberiores, quam in proſpera valetudine, requiruntur.

(1) De pondere urinæ ab eodem homine ſano & Febricitante emiſſæ, vid. Helmont. Tract. ſcholar. humoriſt. cap. 4. art 31.
See a Chemical Analyſis of the Blood and Urine, both in Health and ardent Fevers, in The modern Theory and Hiſtory of Fevers, by *Browne Langriſh.*

COMMENTARIUS DECIMUS.

De Sudorum Evocatione.

Sudores, vel ſaltem lenis mador, ſub exitu Febrium ferè ſemper deſideratur: morbi enim omnes ſolvuntur, authore Hippocrate, aut per os, aut per alvum, aut per veſicam, aut alium quendam ejuſmodi articulum; ſudor vero omnibus communis eſt (1). Idem confirmatur hiſtoriis ægrotorum in primo & tertio morborum vulgarium: ex his enim omnes, qui convaluerunt, tribus exceptis, exſudabant; ita ut liberationem, per alias evacuationes inceptam & provectam, ſæpiſſimè perfecerint ſudores. De alio eorum, qui Febribus abſque ſudore defuncti ſunt, obſervatur, quòd viceſimo die Febris conquievit, ſed non ſudavit. Vitium autem, quod intus remanſit, circa diem 27 ad coxendicem decubuit, atque ibi non diu perſtante, tubercula, quæ ad aures erant, extabant & dolebant. A triceſimo die alvi profluvium, inteſtinorum difficultas, & urinæ craſſæ, cùm abſceſſum tùm morbum ſenſim debellarunt; tandem circa 40 diem oculi dextri dolor ſubortus eſt, hebetior viſus eſt, conſtitit (2). Quamobrem et huic judicatio, ſine ſudoribus effecta, admodum laborioſa, & diuturna fuit. Atqui horum

(1) De rat. vict. in morb. acut. (403).

(2) Ægrot. 10. lib. 1.

rum alter non ante 80 diem (3); & tertius circa 120 judicatione abſolutus eſt (4).

Sudores vero conſtantes, tepidi, a toto corpore manantes, & poſt probatum urinæ concoctionem opportuné prodeuntes, ſine aliâ aliquâ criticâ evacuatione Febres perfecte diſcernunt. Exemplo ſint ægrotus ſextus, & decimus in ſect. 2. lib. 3. Epid.

At ſudores licet copioſi, & calidi, die critico erumpant, non tamen morbum prorſus ſubmovebunt, ſi urina concocta non fuerit; vel ſaltem, ſi aliud quoddam non accedat præſidium. Sic profecto ægroto 7. lib. 1. Epid. & 12. ſect. 2. lib. 3. morbus per ſudores judicatus, non reverſus eſt, licet urina cruda fuit; ſed alteri ſanguis poſt judicationes crebrò e naribus erupit, alteri per uterum profuſus eſt. Cæteris ferè ægrotis ſudores accidentes, dum cruda eſſet urina, vel Febres non ſuſtulerunt, vel tantum intervallo ſedaverunt.

Nihilominus tamen conferunt ſudores, ſi aliquid a Febribus detrahunt, vel ægrum faciliùs ferre morbum faciunt; ni in poſterum magis officiant, utique incraſſando ſanguinem circa initia morbi, vel inhibendo utiliorem evacuationem circa ſtatum. Boni ſudores magnâ ex parte ſub fine acceſſionis erumpunt, hoc intervallum ſudoribus maximè opportunum eſſe Febres intermittentes oſtendunt. In Febribus itaque bene conſtitutis, ſudores diebus imparibus ſeu criticis ſperavit Hippocrates; qui ſi aliis diebus,

(3) Ægrot. 5. lib. 1.

(4) Ægrot. 9. ſect. 2. lib. 3.

bus, & extra acceſſiones contigerunt, laborem metuit, & morbi longitudinem (5).

Malorum autem ſudorum alios ex corporis exolutione, alios ex vehementiâ æſtuantis ardoris concitari notavit medicorum ſagaciſſimus (6). Atque jam hodiernâ experientiâ demonſtratum eſt, quòd, imminuto humoris vitalis impetu, per ſanguinis detractionem ad $\frac{2}{3}$, protinus accedent ſudores viſcidi, frigidique (7), quales in ægrotantibus plerumque obſervamus, ubi in propinquo ſit mors, aut animi defectio. Tales equidem ex reſolutione fibrarum, extremas arterias & poros glandularum cutanearum amplectentium, apparere veriſimile eſt. Pulſus parvi & inæquales, natos ex hac cauſa ſudores denotant, & hujusmodi excretio in Febribus lentis nervoſis frequens eſt. Quemadmodum autem in corporis exolutione, humoribus a vaſis dilabentibus, ſudores apparent; ſic etiam in Febris ardentis vehementia, vi impetus impellentis exprimente humores per arterias. Ex notis hujus eſt pulſus vehemens, aut celer admodum & frequens, cum ingenti corporis æſtu.

Incredibile ſanè foret, tantam humoris copiam per cutem & vias ſpiritûs quotidiè benevalentibus abditè diffluere, niſi id certo Sanctorii experimento conſtaret. Ab eodem etiam inventum eſt, quòd perſpirationem plurimùm augeat calor; ita ut copioſius perſpiretur in regionibus calidis, & ibi æſtate, & inter æſtatem diebus

(5) Lib. prænot. (38) Coac. prænot. (209).

(6) Lib. prænot. (38).

(7) *Hales*'s Hæmaſtaticks, Exp. 1.

diebus fervidiſſimis. At calor non modo copiam, ſed acrimoniam quoque humoris perſpirati auget, quamobrem in Italia, ejus evacuatione inhibitâ inter æſtatem, calor moleſtus mox ſentitur, & brevi Febris arceſſitur maligna; hieme vero idem accidens nil hujusmodi efficit (8). Materiam autem perſpirabilem acrem reddi, vel calore externo, vel motu humorum violento, vel morâ intra corpus, author eſt Sanctorius (9). Humores equidem animalium, vel leniſſimi, ex corpore educti, calore penitùs diſſolvuntur, & putreſcunt, & eo citius hoc fit, quo propius calor accedat ad eum gradum, qui ovi albumen cogit, modo non attingat. Conflatur id liquamen ex ſalibus oleoſis acerrimis volatilibus latici inhærentibus, quibus plurimum exaltatis putrefactione, (uti chemici loquuntur) nil vitæ magis inſidiatur: minima enim particula ovi ex incubatu corrupti, ſi devoretur, horrorem, vomitum, anxietatem, tormina, alvi profluvium, æſtum, ſitimque concitat, atque ſanguinem vel inſtar veneni peſtis diſſolvit. Quinetiam vel olidi tantum cadaverum fœtores talia efficere poſſunt (10). Prorſùs verò admirandum eſt, quòd canis detentus calore, qui naturalem hominis teporem dimidiâ parte haud excedit, intra 30 forte minuta necatus fuerit, humoresque ejus brevi hoc ſpatio prorſus diſſoluti, & in putidum liquamen converſi; adeo ut minimè abfuerit, quin athleticus vir, propiùs accedens, ſolo nidore exanimaretur (11). Quam cito

(8) Sanctor. aph. 35. ſect. 2. & aph. 78. ſect. 1.
(9) Ibid. aph. 37. ſect. 2.
(10) Boerhaav. chem. proceſſ. cxiii.
(11) Ibid. Vol. 1. (276.)

cito intra corpus hujus animalis per calorem ſolum fuſi erant ſucci! quam acerrimi & venenati redditi! veriſimile itaque videtur, quòd quò ferventius cœlum ſit, eo vehementiùs omnium animalium humores ad diſſolutionem & putredinem inclinant.

Secretioni & excretioni talium particularum, quæ vel tritura comminutæ, vel calore ſolutæ, inutiles ſunt & ſubtiliſſimæ, moxque putridæ evaſuræ, poros circa cutem, & aſperas pulmonum arterias, aliasque ſpiritus vias, conſtruxit natura. Activæ particulæ, tam ſudoris, quam abditè diffluentis per cutem humoris, ſalinæ oleoſæque ſunt, quibus pro vehiculo inſervit aqua. Hinc conjecturâ haud levi aſſequimur, quapropter fervidiori cœlo plenior perſpiratio neceſſaria ſit, & cur tanta mala ex ejusdem defectu corripiant. Facile porro concedetur, credo, quòd organum ſingulum excretorium, proprium ſibi humorem commodè tantum admittat, alienosque ferè excludat. Sic quidem ad excernendam urinam, cui renes accommodavit natura, ductus ſudoris inepti ſunt: nam ex urinæ retentione citra renes, quantacunque ſudoris copia effluat, non præcavebuntur vitia, inde capiti imminentia. Demendo ſanè laticem, urinæ defectum partim compenſant ſudores, ſed ea ſalia & olea, ad quæ excernenda renes nati ſunt, intus relinquunt. Neque ſufficere videntur renes ad ſecernendam eam materiam, quæ per cutem evacuari debet. Atque ob eamdem rationem, materia Febrilis vix poterit educi, ſive per renes, ſive per cutem, ſive per alia emiſſaria, antequam illi aſſimiletur humori, qui per iſta organa colari conſuevit. Id

autem, quod per cutem evacuatur, omnium recrementorum corporis ſubtiliſſimum eſt; itaque particula Febrilis, huc evaſura, maximè comminuta & concocta eſſe debet; quamobrem poſt alias evacuationes plurimum ſuperveniunt ſudores critici. Neque his aliena eſt medicinæ patris ſententia: ſudores enim in Febribus hac de cauſa fieri præcipit, quibus morbi in diebus judicatoriis diſcernuntur, & Febrilis ignis dimittit, in his de pituitâ & bile (has utique materiam Febrilem ille habuit) quod tenuiſſimum eſt, eliquatur, & ſecernitur, & ſecedit, partim extra corpus, partim intus, & iſthic in corpore relinquitur, partim præ calore attenuatur, & vapor fit, & cum ſpiritu permixtum foras procedit. Hæc igitur ſunt ejusmodi, & ex his ſudor oritur (12). Tantam autem molituram, & ſubactionem, vix videtur requirere materia Febrilis, ut urinæ naturam induat; nam ea ferè in urina cernitur cocta, antequam ſudores critici erumpunt: & ſi prius ſudores contingunt, raro morbum finient. Ex notis autem optimæ concoctionis in urinis, materiam Febrilem aptam natam eſſe cum ſudoribus exire cognoſcimus.

In hoc ſtatu veteres, ſi ardens erat Febris, ſi vires valentes, ſi nullum inflammationis, aut viſceris alicujus infarti ſignum, plena pocula frigidæ ægrum confertim devorare cogebant, ex quo vel vomitum, vel dejectionem, vel ſudorem, ſed hunc ſemper poſt illas evacuationes, expectabant, quibus pro ſpe cedentibus Febris protinus ſublata fuit (13). Verùm ex hujusmodi

(12) Lib. 1. de morb. (458).
(13) Galen. method. medend. lib. 9. cap. 5.

di curatione, gula aliquando læditur, ut æger vix devorare ſuſtineat, modo ventriculus, aut jecur, aut pulmo, aut ſeptum transverſum, aut alia quædam pars corporis nobilior male affligitur. Id præſidii itaque haud temerè arripiendum eſt.

Cæterum præter coctionis notas in urinis, alia ſigna criticos ſudores præcedunt: calor utique, ſed non urens, externum corporis habitum, extremosque pervadit artus, cutis, prius aſtricta, molleſcit, tendines circa carpum minus rigidi ſunt ad tactum, linguaque humeſcere incipit; ſed minimè fallax, & proprium critici ſudoris imminentis indicium eſt pulſus plenus mollis & valens; is cùm humores aptos eſſe ad ſubeundos poros, tum poros benè diſpoſitos eſſe ad transmittendos humores, oſtendit. In exprimentis igitur ſudoribus, non temerè inhærebit medicus, naturæ ſervus, priusquam hæc viſa ſint; ſed præſentitâ per ſudores judicatione, iſtiusmodi motum expectabit, eumque arteriis conciliare quamprimùm molietur. Id autem non ſine diverſo, & plane contrario remediorum genere, aſſequi poterit; ſiquidem in lentis Febribus, ubi pulſus, qui exilis & languidus fuit, appropinquante judicio invaleſcat, & plenior tangatur, is calidiori medicinâ eousque incitandus eſt, donec normam a natura præſcriptam attigerit. Contrà, in acutis & inflammatoriis Febribus, ubi pulſus in vehementia & duritie peccat, commodis evacuationibus, potionibus aquoſis, & medicamentis nitroſis, exceſſum ſubducere oportet, donec is ultra modum valens non ſit, & mollis ſentiatur. Deſideratâ vero conditione pulſuum obtentâ, ſudores, ſi

 tarda-

tardaverint, provocandi ſunt; eoque magis, ſi iſto tempore, & Febris moveatur, & morbus judicari ſoleat. Hippocrates quidem, naturâ excretionem per cutem moliente, ex exhalationibus aquarum calidarum ſudores ciendos eſſe aliquando monet (14): atque æger in hoc rerum ſtatu, reſolutâ cute per calidæ vapores, ſi ſub veſte ſatis multâ contineatur, facilè exſudabit. Cæterum, ad provocandos ſudores, ſingulare præſidium rariſſimè uſurpaſſe, ſed artificioſè curationes dirigens, donec ii ſponte ſuâ diffluerent, utplurimùm expectaſſe, videtur medicorum optimus. Ex immenſâ autem remediorum internorum ſudores moventium farragine, quæ in uſum traxerunt recentiores, nullum certiùs, aut minori cum corporis turbatione, excretiones per cutem citat, quam quod opium camphoramque recipit. Opium fortè fibras muſculares ſpiracula cutis conſtringentes relaxat, camphora autem ſubtilitate omnibus aromatibus præcellit, & cutem inſuper petit. Adhæc potiones aquoſæ, in quibus maceratæ fuerint plantæ aromaticæ, ſi fervidè ſorbillentur, ſudores promovent, materiam Febrilem eluunt, & ſanguinis denſationi impedimento ſunt. Sed hæc curatio, ut id iterum moneam, ubi urina cocta & pulſus mollis atque plenus fuerint, optimo ſucceſſu inſtituitur.

Quibusdam vero, obſervantibus Febres univerſas ſudoribus fere finiri, multasque (nempe diarias & concitatas a vitio ſex rerum non naturalium) cito ſolvi, veriſimile viſum eſt, omnigenas

(14) Lib. de arte (7).

genas Febres per ſudorum provocationem optimè ſubmoveri poſſe. Inde cœpit ab Arabum usque temporibus in immenſum ſerpere remediorum ſudores moventium varietas, quæ quidem, nil expectatâ materiæ Febrilis præparatione, protinùs inter initia Febrium, omnibus indiſcriminatim propinari videmus.

Contra maximum hunc, & vulgatiſſimum medentium errorem, firmiter obnixus eſt Sydenhamus, qui in Febribus ad eliciendos ſudores medicinæ calidioris, ægrosque multa veſte involvendi uſum, non modo repudiavit, ſed eos etiam ſponte ſua inter initia morbi diffluentes coerceri vult (15): peſſimi enim ominis accidentia ab eâ curatione concitari obſervaverat, Febresque aliâ methodo certiùs, citius, & jucundiûs, curari expertus eſt. Invidia autem, peſſimaque calumnia, ex hac re optimo viro obortæ ſunt. Ex unaquaque enim vitæ ſorte hominum genus eſt nefarium, qui nil laude dignum aſſequi poſſunt, & ideo alios fama ſpoliare ſatagunt; ut cum longè ſuperati ſint in ipſis quas profitentur artibus, ita eſſe populo ne palàm videantur. Ab eâ bonorum peſte fictum eſt, Sydenhamum in contradicendi ſtudio totum, id unicè ſibi propoſuiſſe, ut medendi rationem, aliis probatam, everteret; ſed bene de republica merentibus æqua plerumque eſt poſteritas, & hunc celeberrimi in arte noſtra viri, uno ferè ore, ſummis dignum laudibus, imo omni laude ſuperiorem, judicaverunt.

Si ratio autem curandæ Febris intra ſudorum expreſſionem ſiſteretur, non eſſet ars lon-

(15) Sect. 2. cap. 3.

ga; ſudores enim quamprimum elicere, eosque effluentes ad depulſionem usque morbi ſervare, unicus erit ſcopus, totumque officium medici: atque in eligendis medicamentis ſudorem moventibus, nulla eſt difficultas, cum a lenioribus incipiendum ſit, ſenſimque ad validiſſima (ſi opus fuerit) progrediendum, nec unquam omiſſis veſicantibus, ubi grave quodvis ſymptoma urgeat. Quandoquidem igitur ad aſſequendam hujusmodi curationem, nec plurimum vel judicii vel laboris, deſideretur, quin & ei adminiſtrandæ pharmacopœus tyro, pariter atque gravis annis medicus, juxta ſufficiat; minime mirari oportet, quod homines inertes, deſidioſi, ineruditi, hanc præ cæteris exercuerint. Ea autem, ſi ita in medendo felix erat, quam intellectu facilis eſt, omnibus palmam præriperet; ſed quod dolendum eſt, iſta methodus, quæ materiam febrilem per poros cutis eliminare ſatagit, ut minus habet certitudinis, ita plus habet & faſtidii, & moræ; utpote, quâ morbus ſæpius ad ſeptimanas aliquot producitur, cùm æger hoc modo primum in ipſo ſepulchri margine, ſi forte Libitinam evitet, conſtituatur, & per longum illum Febris decurſum, denſo remediorum agmine infeſtetur, quibus ea expugnantur ſymptomata, quæ imperita morbi tractatio advexit. Hæc Sydenhami verba ſunt (16), cujus judicium magna medicinæ lumina Mead, Freind, Boerhaave, aliique multi viri celeberrimi, in ſuis ſcriptis confirmaverunt. Tanti itaque momenti ſpernere monita, iis utique, qui civium valetudini, & vitæ præſunt, facinus eſt; at methodum arripere

(16) Schedul. monitor. de novæ Febris ingreſſu.

pere notatam, ut trahendis morbis quæſtum ſibi faciant, veneficium.

Cum autem ea medendi inſtitutio, quæ in remediis calidioribus poſita eſt, etiamnum nimis frequens ſit, cauſas accuratiùs inveſtigare haud ineptum videtur, unde tot inde oriantur mala.

Igitur, natura ipſa vix unquam materiæ eliminandæ febrili per ſudores valet, exceptò in peſte, antequam ad eam maturandam, idoneum inſumpſerit tempus; ita ut ſudores, qui ſponte ſuâ, ineunte morbò, largius diffluunt, Febres minimè diſcernant, ſed longum affectum & difficilem ſignificant, vel faciunt. Ea etiam curatio ventrem inter initia conſtipat, & alvi profluvium haud rarò in Febribus putridis circa judicationes concitat: maximè vero & facillimè Febribus defunguntur ægri, quibus, contraria planè lege, alvus ſub initio mollis eſt, ſed paulò ante judicationes, & ſub iis aſtricta. Ab alvi ſuppreſſione intercluditur ſtercus, diſtenduntur inteſtina, turgentique materiæ, ſi qua fuerit, negatur exitus: quantas hæc, qualesque pariant noxas, ſuprà explicatum eſt. Atque ubi vitioſi ſucci ab initio non fuerint in primis viis, brevi quidem intervallo ibi gignentur: ſiquidem bilis utraque, ſtomachi & inteſtinorum mucus, humorum ciborumque ſordes, per alvum quærentia exitum, intercipiuntur, liquantur, corrumpuntur, deinde venas (prius interdum afflictis locis circa quos ſtabulaverunt) ſubeunt, ſanguini admiſcentur, novas Febres incendunt, flexuoſos & ſubtiles cerebri & viſcerum ductus ægrè ſuperant, ex obſeſſione partium nobiliorum peſſima oriuntur mala. Cæterum, ubi ex votis res ſuccedit, hæc maxima ex parte ita fiunt,

nec prius ceſſant turbæ, quam materia corrupta, quæ per alvum dejicienda eſſet, ad cutem abſcedat, vel cum ſudoribus evacuetur. Inſuper his, ex ſudoribus copioſis, ſi venam incidas, ſanguinem craſſum, utpote ſero privatum, totumque fere in grumum condenſatum, authore magno Harveo, invenies. Sudoribus igitur, inter initia Febrium, præſertim inflammantium, calida medicina expreſſis, in quibus ex maximis vitiis eſt ſanguinis tenax lentor, vehementiſſime denſabitur humor vitalis, & inde ineptus erit ad ſuperandas exilium arteriarum anguſtias, ſed vi multa jam adactus hærebit, & implicabitur. Id ſi in cerebro fit, accerſitur inſania, vel veternus; ſi circa pectus, ſpirandi difficultas, aut lateris dolor; ſi circa præcordia, eorum diſtentio, calor, dolor, pectoris oppreſſio, anxietas, jactationes, &c. feliciori quidem eventu, idem circa articulos & carnes contingit; ſed inde etiam dolor multus, vel forte claudicatio, ex morbo rheumatico, vel articulari, ſuccedit. Hujusmodi autem accidentia frequenter admodum ſequi iſtam medendi methodum triſtis probavit experientia. In Febribus quoque lentis, ubi calidior medicina ad excitandum motum vitalem omnino deſideratur, cavendum eſt, ne nimium in ea ſimus. Quam graviter calida & alexipharmaca medicamenta in Febre miliari noceant, docuit ſane uberius experientia; qua conſtat, eadem cum æſtuoſo regimine in cauſa eſſe, quod ingruente primum hoc morbo, omnes fere perierint, cum jam ſub temperato plurimi evadunt(17). In

(17) Hofman. med. rat. ſyſtem. Tom. 4. ſect. 1. cap. 9. obſervat. clin. §. 2.

In vicino quodam oppido, plurimi Febre petechiali hoc anno laborantes, medicina calida & continente ſudorum expreſſione curati fuerunt, ex quibus vix tertia pars ſuperſtes eſt.

Ubi autem materia morbum efficiens ſubtiliſſima eſt, & neque humoribus craſſis involvitur, neque poris implicatur, ſi præterea experientia docuit, eam per cutem poſſe evocari, ſudores quamprimum eliciendi ſunt, ut mala materia educatur, antequam humores ab ea prorſus corrumpuntur. In peſte itaque ſudorum valida per calidiorem medicinam expreſſio, cum potione interim largiori, ſummum eſt præſidium; ſi quidem id arripiatur, priusquam venenum pertinaciter alicui ſedi inhæſerit. Hujusmodi autem curatio multorum capitum damno in variolis tentata eſt, quandoquidem venenatum id variolas concitans, neutiquam per poros cutis cum ſudoribus perpelli poteſt. Cæterum in hac affectione raro moriuntur ægroti, quia venenum a ſanguine non expulſum eſt, ſed frequentiſſime propter abſceſſum majorem a variolis natum, quam vires ferre poſſunt, qui abſceſſus medicinis calidis magnopere promovetur.

Sed licet copioſa ſudorum profuſio ante concoctionem, excepto in peſte, fere mala ſit, plenior perſpiratio, aut lenis interdum cutis mador, modo ex malo morbo natus non ſit, plurimum confert. Febricitantibus enim ex motu humorum perniciſſimo, & calore quoque ſummo, copia materiæ perſpirabilis longe major, quam ſanis præſto erit; ea autem ſi intra corpus retineatur,

neatur, & morâ, & motu, & calore freta, acerrima cito evadet, quæ vel ipſa homini benevalenti Febrem inferre malignam abundè ſufficit. Cutis ſanè linguaque vehementer ſiccæ & torridæ inter malas notas jure poſitæ ſunt, molles autem & humidæ inter bonas. Lingua enim minimè arida perſpirationis bene procedentis in ſedibus, quæ ſpiritum recipiunt, indicium eſt; hæ plerumque eodem modo conſtitutæ ſunt, ac externus corporis habitus, ita ut dum cutis madet, erunt os linguaque fere humida, niſi ſingulare aliquod accidens, has partes affligens, impedimento ſit.

In his regionibus non opus eſt, ut benevalentibus vapor circa cutem cernatur; in æſtuantibus vero inter fervores id utiliſſimum eſſe videtur. In Ægypto per alteram æſtatis partem unusquisque aliquoties in die largiſſimè ſudat, & eo tempore incolæ ſemper ſecundiſſimâ fruuntur valetudine (18).

In Italia, dum corpora in ſummo æſtu ob ſomnum vel nocturnum vel diurnum abundè perſpirant, vel ſudant, redduntur leviora, & nullo illo die vexantur calore (19). Sed quibus aliquid perſpirabilis in vehementiſſimis caloribus æſtivis exhalare prohibetur, calor eſt moleſtus, &c. (20). Atqui in Febribus acutis lenis ſudor,

(18) Alpin. de medic. Ægypt. lib. 1. cap. 18.

(19) Sanctor. aph. 28. ſect. 2.

(20) ---- aph. 78. ſect. 1.

ſudor, præſertim inter ſomnos, neque ob ſummam Febris vehementiam, neque corporis exolutionem, apparens, ægrum ferè ſemper facilius ferre morbum facit; ſedat enim mala accidentia, quæ ex retentione materiæ acris perſpirabilis, ſupra Febris noxas concitari ſolent. Ex his ſunt capitis gravitas, corporis confractio, ſitis, calor, inquietudo (21), quinetiam hæc mala ab ea causa mox oriunda plenior perſpiratio, aut blandus ſubinde ſudor præcavet. Optimi ſudores ſunt, ex obſervatione Hippocratis, qui poſt notas coctionis criticis diebus ſuperveniunt, & morbum ſolvunt; boni vero ſunt, qui toto corpore oriuntur, faciuntque, ut æger morbum facilius ferat. Illos quidem materiam Febrilem educere, hos autem crudâ prorſus affectione acrem perſpirabilem excernere, veriſimile eſt. Sed juxta ejusdem monita, quæ ſponte ſua prodeuntia juvant, ea ſi intus retineantur, arte evocanda ſunt: itaque ubi cutis & lingua exſuccæ ſint & torridæ, excretionem materiæ perſpirabilis protinus prudens molietur medicus, non quidem intendendo eousque Febres, ut per ejus vehementiam ſudores exprimantur, ſed laxando vaſa, diluendo & reſolvendo humores, & moderando motum vitalem; ita enim ſimul malis accidentibus, & morbo primario conſulitur. Contra imprudentes, præſentia ſi ſciunt levare mala, id agunt, de futuris vix ſolliciti, indeque gratiam cum ægris & adſtantibus ineunt, atque ſibimetipſis de re bene geſtâ plaudunt, ſed haud rarò eâdem operâ magnas moleſtias, & ſummum vitæ

(21) Sanctor. aph. 113. ſect. 1. aph. 23. ſect. 4. & alibi.

vitæ diſcrimen in poſterum arceſſunt. Neque frequentiùs unquam, quam in exhibendis cardiacis, & exprimendis ſudoribus, ejusmodi error commiſſus eſt; jucunda utique promittitur curatio, opinioni vulgi arridet methodus, eam uſus familiarem reddidit, ægerque diffluentibus ſudoribus melius ſe habere inter initia videtur, & iisdem poſtea ſuppreſſis vehementius æſtuat, ſitit, & inquietus eſt. Cæterum ſudor qui ineunte morbo ſatis promptè elicitur, appropinquante vigore ſæpe ſiſtitur prorſùs, nec calidiſſimis revocari poterit remediis; & licet fluere pergat, pro certo expoſita in ſuperioribus ſecum trahet mala. Sed adhæc licet veteres, ſtudioſiſſimi naturæ viri, eam medendi rationem nunquam admiſerint, recentioresque in ſacris medicinæ myſteriis penitiùs eruditi ſemper rejecerint, nulla ſpes eſt, quòd aniculæ, quas penes impunè occidendi hominis licentia eſt, ſe a ſuâ curatione avelli ſiverint: id vero in votis eſt, ut medici ratione utentes rem, miſſis opinionibus præjudicatis, ſuo momento ponderarent atque hanc a ſalubri arte procul relegarent perniciem.

A ſuperioribus autem (ut ingratum hoc argumentum tandem demittam) manifeſtum eſt, quòd vias omnes, per quas corporis recrementa quotidie in ſecundâ valetudine egeruntur, patulas inter Febres tenere ex maximis ſit artis præſidiis. Nam ſanis ex eorum retentione, ut notum eſt, concitantur Febres, omnigenaque ferè mala. Quanto autem magis ea Febricitantibus fient, cûm vires corporis ex alio mor-

bo

bo proſternantur, & omnia recrementa longe maleficiora ſint indole, & majori intra venas conficiantur copiâ. Interim Febris omnium malorum, quæ ſupra ipſam aliunde naſcuntur, falſo exiſtimatur auctor. Sed quibus medicamentis, latente cauſâ, expugnabuntur iſta? inſuper his, eâ medendi ratione non modo id mali præcavemus, quod a retentis ſordibus ortum ducit; ſed hoc etiam commodi conſequimur; nempe, ut materiæ ad exeundum paratæ via pateat naturalis, quocunque demum vergit.

COMMENTARIUS UNDECIMUS.

De Curatione Abſceſſus critici.

Cognitis ratione, modoque evacuationum, reſtat, ut curationes, quæ circa abſceſſus criticos verſantur, explicem.

Ubi Febris, neque per ſanguinis profuſionem, neque per dejectionem, neque per ſputa, neque per urinam, neque per ſudores, judicata fuerit; inter ea accidentia, de quibus dictum eſt, abſceſſus demum expectandus eſt.

Cauſa quidem, abſceſſum efficiens, videtur eſſe materia ſubacta quodammodo, ſed non adeo exacte, ut naturales vias, inteſtina utique, renes, & cutem, ſubire poſſit; atque ſanguinis motus imbecillior, quam ut arterias diſrumpere queat: ſiquidem eædem fere notæ in vehementibus Febribus ſanguinis curſum per nares oſtendunt, ac in minus concitatis abſceſſum circa aures. Febres autem illico miteſcentes ex abſceſſu inſigni opportunè erumpente, & protinùs iterum invadentes ex eodem præter rationem recedente, materiam febrilem in abſceſſum relegatam eſſe demonſtrant.

Si itaque natura opportunè in loco commodo abſceſſum moliatur, is arte fovendus erit, ne iterum ad interiora recurrat; ab interioribus ad exteriora verti morbum bonum eſt, contrarium vero malum. Si inflammatio exacta eſt, ea ſuperimponenda ſunt, quæ citiſſime in pus maturant;

rant; etenim, quibus tumores circa aures aſſurgunt, & non ſuppurantur, in ardente Febre hi fere non ſervantur (1). Qui vero ſuppurant cum ſignis coctionis, & pus habent album, ſalutares ſunt (2).

Singularem, ſed congruam valde, uti videtur, parotidis in Febribus malignis curationem, profert Franciſcus Valeſius. Ego quid in ejusmodi ægrotis (ſic ille) facere ſoleam, dicere hoc loco non gravabor; quandoquidem cenſeo multos eſſe ſervatos, qui alioquin interiiſſent. Mox ac oriri incipiunt, partem laxanti oleo foveo, putà chamæmelino, atque ſi exire cunctentur, loco ipſo cucurbitulam affigo, ne abſceſſus ſit minor, quam poſſit conferre; ubi autem jam ſatis manifeſtus factus eſt, ſi brevi plurimum increſcat, mitto rurſum ſanguinem, ne ſit major quam ſuſtinere poſſit æger. Mox verò durum adhuc tumorem, neque ullà ſuppuratione expectatà ignito ferro aperio, alterâ quidem in parte, ſi alteram ſolum obſederit tumor, in utraque vero, ſi utramque, & cataplaſma ſuppurans appono. Plerumque res bene cedit; nam brevi computreſcente poſt inuſtam eſcharam tumore, manare pus incipit, & perpurgantur (3). Hæc certè medendi methodus egregio viro Marco Aurelio Severino, aliisque clariſſimis medicis, quos apud eum videre eſt, ſummoperè placuit (4).

Ubi

(1) Coac. prænot. (137).
(2) Coac. prænot.
(3) Comment. ad Hip. lib. de morb. vulgar. No. 92. lib. 7.
(4) De abſceſſu critico, cap. 31.

Ubi autem id, quod abſcedit, ignem ſacrum concitat, ea admovenda ſunt, quæ tenui humori denſando & ad cutem ſiſtendo valent. Hoc genus abſceſſus frequentius inflammationibus ſinceris recurrere conſuevit. Quidam ex Hippocratis interpretibus, hanc rem minus rectè intelligentes, mirati ſunt, quòd is cùm refrigerantia, tùm actu frigida, & aſtringentia, nempe betas & cucurbitas conciſas ex aqua frigida, ubi φλέγμα in quadam anginæ ſpecie ad collum vel pectus foras converſum erat, ſuperimponi juſſerit; præcipiens ſimul, ubi ad pectus extumuerit, plerique evadunt, ſi vero morbus ad pulmonem converſus fuerit, utplurimum moriuntur (5); ſed φλέγμα quidem hic loci eryſipelas notat, adverſus quod betæ folia & aſtringentes medicinas Celſus, Galenus, & ejus ſucceſſores adhiberi volunt; hæc enim id vitii ad exteriora ſiſtunt, aliter ſane vix admoviſſent iſti, qui bene norunt, quanto malo eſt intro verti eryſipelas. Ad eadem præſidia inflammationem exquiſitam reprimunt.

Si vero ad articulum criticè decumbat morbus, talia applicare oportet, quæ ibi detinendæ materiæ apta ſunt, antequam ea digeratur: nam, obſervante Hippocrate, articulorum morbi præter coxarios raro ſuppurare ſolent.

Si circa cutem denique efflorescant exanthemata, calor externus ad incitanda tardantia in Febre non vehementi valet; eodem etiam cavetur, ne ante tempus temerariè recedant. Atque ad accelerandum univerſum genus abſceſſuum

(5) Lib. 2. de morb. (470).

ſuum calor paulo major, tam internus, quam externus, idoneus eſt.

Quæ autem per abſceſſus fiunt judicationes, difficiliores ſunt utplurimum iis, quæ per evacuationes abſolvuntur, & maxime quidem, ſi excretio quædam critica non ſimul acceſſerit. Ex abſceſſu circa crura, ubi cruda omnino perſtiterit urina, periculum ſubeſſe diuturni cruciatus, & claudicationis, monet Hippocrates (6). Cuidam ante 7 menſes Febrem peſſimi moris per abſceſſum ad femur cruda perſtante urina judicatam fuiſſe vidi; ſed os femoris inde corruptum eſt & claudicatio & ulcus adhuc dum inſident. Urina multum craſſum album læve & æquale ſedimentum, quaſi purulentum, deponens, omnium optime hujusmodi abſceſſus extenuat & reſolvit: ea dum redditur, aliquando dolorem concitat, hinc urinæ difficultatem in ſtatu 2. Epid. 1. ex judicantibus efficaciſſimum fuiſſe ſcribit præceptor. Eosdem item ſolvit ſanguis ſponte e venis erumpens; tum etiam alvi profluvium, & tormina; ſputa quoque quosdam abſceſſus diſcutiunt.

Materia itaque abſceſſus concitans, omnibus his modis ex corpore evocari videtur; ob quam cauſam, ſi ex eruptione abſceſſus critici urina id genus ſedimenti habens, quod dictum eſt, copioſiùs effluat, ne male ſanâ arte provocetur abſceſſus, ſiquidem natura æquè tutò per renes, longeque facilius, morbum exturbabit. Atque aliarum evacuationum ſupra abſceſſus ſponté & tempeſtivé evenientium eadem eſt ratio. Igitur

(9) Coac. Præſag. (180).

tur his omnibus indulgendum eſt, ſi morbum levant.

Quinetiam ſi abſceſſus, vel etiam arte provocatus, affectionis dignitati non reſpondet, aut ſi is temerè & ſine ulla ſignificatione evaneſcit, atque mala inde augentur, evacuatio morbidæ materiæ, ad exemplum naturæ, per vias idoneas molienda eſt. In Febre malignâ, & valde exitioſâ, Monſpellii anno 1623. graſſante, quibuscunque parotides circa judicationes apparebant, omnes intra biduum interibant, quod abſceſſus, ut ſuſpicatus eſt Riverius, totam excipiendi morbi materiam non capax erat; ad hanc igitur per alias vias evacuandam, is ſanguinis detractionem, licet vires eſſent ex oppreſſione ſummoperè imbecillæ, inſtituit; ſed hujus ergo, repetitis vicibus ſanguinem dempſit, ſequenti deinde die per leniora medicamenta alvum duxit. Tantaque fuit hujus præſidii virtus, ut poſtea in ea conſtitutione ex parotidibus, ita curatus, perierit nemo (7).

Vibices quidem raro admotum toti recipiendo morbo ſatis ſunt; imo cùm vix quicquam a morbo detrahere interdum videantur apparentes, nil judicationi Febrium conferre a quibusdam ſuſpiciuntur. Certum verò eſt petechias aliquando, ſine alio quovis auxilio, id genus morbi perfectè judicaſſe (8); tum etiam easdem præmaturè vel ſerò nimis extruſas in Febribus petechialibus malum ſemper portendere, opportunè vero erumpentes bonum (9). Propterea credo,

(7) Prax. medic. cap. de Febr. peſtilent. ſub fine.
(8) Ramazzini de conſtitut. anno 1692, &c. No. 21.
(9) Idem, ibid. & Donckers de idea Feb. petechial.

credo, quod ex judicantibus æſtimandæ ſint petechiæ; at ſupra has aliud præſidium plerumque deſideratur. Febris petechialis ex malignis & peſtiferis ſæpiſſime habetur, & ſibi relicta, vel imperite curata, exitioſa valde eſt; ad artem vero tractata, ſaltem quæ anno 1672 & adusque 74 Coloniæ epidemica fuit, quæque eamdem regionem poſt aliquot annorum decurſum iterum infeſtavit, item quæ nuperrime apud nos graſſata eſt, & adhuc dum graſſatur, facilis fuit curatu, & tutus admodum morbus: ex magno enim ægrotantium numero, quorum curam habuit medicus Colonienſis D. Donckers, ſi bene memini, quinque tantum mortui ſunt, ut ipſe teſtatus eſt. Huic quidem eo lubentius fidem adhibeo, quoniam ex centum febricitantibus, in præſenti conſtitutione haud abſimili methodo curatis, vix tres deſideratos fuiſſe pro comperto habeo, & idoneis teſtimoniis, ſi opus fuerit, probare poſſum. Eam autem curationem paucis abſolam.

In primo morbi ſtadio expurgandis ventriculo & inteſtinis tempus aptiſſimum eſt, nempe ut crudi & viſcoſi humores, qui venenatam particulam cum ſaliva deglutitam excipere, alere, & Febrium fomes eſſe, jam ab ea corrupti, videntur, quamprimum cum inhærente fermento, quantum fieri poteſt, ejiciantur foras. Primum autem ſtadium ad macularum usque eruptionem, vel ad iſtum diem, quo conſtitutio eas ex ſua indole depromere ſolet, extenditur. Intra id quoque ſpatii, ſi vel copia, vel motus ſanguinis, vel inflammatio internæ cujusdam corporis ſedis, ſanguinis detractionem poſtulet, vena ſecanda erit; & quo citius id fiat, eo melius.

 lius.

lius. Si vero ingens capitis dolor, aut inſania, aut ſopor cum oſculorum & vultus rubore, aliæve notæ inflammati cerebri alio morbi tempore ſanguinis miſſionem expetant cervicibus cucurbitulæ cum ferro admovendæ ſunt, ſanguiſque pro ratione accidentis, & ægrotantis virium demendus. Venæ etiam exiles, quæ ſub lingua ſunt, feliciter in his ſectæ fuerunt. Vires autem hic plurimum collapſæ lata amplarum venarum vulnera prorſus recuſant. In his Febribus haud pauci inſania & veterno temere occupati, amicorum ſpes fefellerunt, quos per id præſidii tempeſtive adhibitum ſervari ſæpe potuiſſe, nullus dubito. Cæterum ſanguinis motus, ex indicio arteriarum, prorſus inter initia, utplurimum ſtimulo eget; magis autem neceſſarius is eſt inſtante papularum eruptione, quoniam inſuper his, tunc temporis natura abſceſſum circa cutem moliens adjuvanda eſt; atque propterea paulo ante ſecundum ſtadium a purgantibus abſtinere, & alvum ſiccare oporet. Ex iis, quæ commode hic ſanguinis curſum incitant, & excretiones per cutem promovent, haud infima ſunt veterum antidoti, quæ opium & medicinas calidas penetrabiles recipiunt; ſed iſtæ nondum eà copià adhibendæ ſunt, ut ſudores eliciant; ii enim, vel ſponte diffluentes, adhuc dum mali exiſtunt, vehementiusque nocent arte expreſſi. Per totum porro hoc ſtadium in iisdem, ſi langueat motus vitalis, quod plerumque fit, continendus eſt æger; victus ex juſculis hordeaceis cum vino per omnia morbi tempora ad ſuſtentandas vires utiliſſimus eſt, modo affectio capitis vini uſum haud arceat. Interim ad ſingulare humorum vitium proſpiciendum eſt. Si denſitas

ſitas ſit ſanguinis inflammatoria, eam nitroſis attenuare juvat; ſi putrida diſſolutio, acidis & aſtringentibus coercere; ſi crudus lentor, ſalibus acidis & alkalinis ad ſaturationem commixtis ſolvere, tum etiam veſicantibus, quæ ratione quoque ſtimuli egregiè proſunt. Adhæc alvus minime negligenda eſt. Ea ſub principio & fine hujus ſtadii tarda eſſe debet; ſi vero diutius ſtricta maneat, præcordiorum oppreſſio, anxietas, & vitia capitis & nervorum plurimum intenduntur. Atque hæc mala jam inde nata alvo bis terve liquata ſæpe admodum levantur & pulſus valentior fit. Vitatis principio & fine ſtadii venter tardus commodè rheo & tamarind. movetur, ſed purgatione debitâ prius celebratâ, duci rarò debet. Clyſteri autem medicamentum per os aſſumptum ideo prætulerim, quod hoc inteſtinum tenuè, pariter atque craſſum, juxta expurgat. Cæterùm modica alvi ſubductio excretioni perſpirabilis nulli impedimento eſt (10). Finitur alterum hoc ſtadium accedente judicatione, quæ nunc citius, nunc tardius pro ratione conſtitutionis advenit. In iis conſtitutionibus, quibus eruptio petechiarum circa quartum diem ſolenniter contingit, erit judicatio, vel ſaltem imperfecta, circa ſeptimum; ſi eruptio circa ſeptimum fuerit, judicatio circa decimum quartum expectanda eſt; atqui ſi ſecundus ſeptenarius morbum non prorſus abſolverit, id a tertio ſperandum. Cæterum accedente critico morbi, in quaque conſtitutione, die, ſi notæ coctionis in urinis cernantur, ſi pulſus plenior & valentior tangatur, ſigna-

(10) Sanctor. Aph. 48. ſect. 1.

que ſudores præſagientia animadvertantur, ſtatus ſeu tertium morbi ſtadium adeſt, jamque movendi ſudores nec prius opportunitas eſt; medicina itaque calida in majori copia concedenda eſt, & potiones tenues affatim calidè ſorbillandæ. Blandoque per totum corpus educto undique ſudore, ſi urina magis cocta reddatur, & æger inde levetur, ad finem usque morbi is continuandus erit. Si vero hæc non fuerint, & pulſus iterum magis celer, & contractus ſentiatur, & ſudor difficulter eliminetur, & anxietas & pectoris oppreſſio, & mentis languor, & capitis vitia intendantur, reliquiis inhæret morbus, & materia, quæ intus relinquitur, ulteriorem concoctionem requirit. Quamobrem ad curationem in ſecundo ſtadio probatam redeundum eſt, donec iterum ſudores moliatur natura: & ſi altera judicatio non perfecta fuerit, vel etiam tertia, idem facere oportet. Sed hac curatione ex arte inſtitutà vix ultra ſecundam judicationem perſeverabit paſſio. Morbo tandem prorſus depulſo alvi purgatio non omittenda eſt.

Cæterum ubicunque per abſceſſum natura Febrem ſolvere fruſtra fuerit aggreſſa, neque ullum ſignum criticæ evacuationis in conſpectum prodeat, magnoperè neceſſarium eſt excretionem arte educi. Si abſceſſus ſanguineus eſt, ſi morbus recens, ſi Febris vehemens, minimè dubium eſt, modo vires ſinant, quin ſanguis mitti debeat. Ubi autem eæ imbecillæ ſunt, conſiderandum eſt, an ex virium exolutione, an oppreſſione id fiat: ſi imbecillitas a poſteriori caſu oriri ſuſpiciatur, ſanguinem ad paucas tantum uncias, tentandi gratia, educere utile erit;

ex

ex quo ſi invaleſcat pulſus, res certior erit, tum breve poſt intervallum evacuatio juſta ſine periculo inſtitui poterit. Si morbus vero diutius inſederit, ſi Febres leniores, ſi ætas minus firma, ſi robur fractum, ſi quædam notæ turgentis humoris circa primas vias, ſi paſſio per dejectionem judicari conſuevit, ducenda quidem alvus. Atqui ſi conſtitutio epidemica morbos per cutem potiſſimum expedit, & natura eo vergit, ſudores provocandi. Haud rarò cum ventris purgatio, tùm ſudoris provocatio poſt V. S. locum habent.

Praeterea, non modo mali ſunt abſceſſus, qui morborum ſolutioni non ſufficiunt, ſed ii etiam, qui e contrà plus quam æquum eſt, effunduntur. In conſtitutione peſtilentiali utrumque vitium ab optimo ſene obſervatum eſt: nam, multis abſceſſus oriebantur, aut minores quam ut quicquam prodeſſent, aut majores quam ut ferri poſſent. — Illud vero ipſis inerat (de ſacris ignibus plurimum ea conſtitutione & ſæviſſime graſſantibus ſermo eſt) ut quæcunque per ſuppurationem abſcederent, ſi tempeſtiva alvi profuſio, aut optimæ urinæ profluvium extitiſſet, per ea ipſa ſolvebantur (11). Ubi igitur ſupra vires futurum eſſe abſceſſum medicus præſentiat, is ſuo judicio utens, illum commoda evacuatione eousque debet extenuare, ut par & morbo & viribus ſit.

(11) Lib. 3. Epidem. ſtat. peſt.

COMMENTARIUS DUODECIMUS.

De Veſicantibus.

De veſicantibus, quæ cantharidas recipiunt, cum id genus præſidii nunc dierum in Febribus valde uſitatum ſit, aliquid hic adjicere haud alienum videtur.

Cantharides quidem a temporibus usque Hippocratis in medicinam admiſſæ ſunt. Archigenes vero ex omnibus primus erat, quem ad veſicandam cutem eas adhibuiſſe novimus, ſi modo is ante Aretæum vixerit: uterque ſane adverſus capitis & nervorum absque Febre vitia hoc remedium uſurpavit (1). Ex Arabum autem temporibus, in morbis etiam acutis, ad revellendas fluxiones & educendos corruptos humores, ab internis corporis ſedibus in habitum externum, ex uſu fuerunt medicamenta cutem exulcerantia. Materia enim quævis acris excitando ruborem, dolorem, & veſicas circa cutem, humores a profundo corpore verſus afflictum locum trahere æſtimabatur. Sed id genus præſidii multo ante Arabum tempora peſti accommodavit Ruffus Epheſius. Ex ejus enim authoritate, ſi ardor interiora occupat, extremaque algent, & ſumma cutis eſt frigida, præcordia tenduntur, venter colliquationes partim ſurſum partim deorſum mittit, vigiliæ urgent, deliria fiunt, lin-

(1) Aetii Tetr. 2. ſerm. 2. cap. 28 & 50. Aret. curat. morbor. diuturn. lib. 1. cap. 4.

lingua eſt aſpera, iis calefacientibus opus eſt, ut calor per totum corpus diffundatur, & ut ab interioribus partibus ad exteriores trahatur, quacunque fieri poterit ratione, enitendum (2). Paulus quoque in immodicâ refrigeratione inter Febres, fruſtra uſurpatis lenioribus auxiliis, dropaces & ſinapiſmos adhibuit (3). Is etiam in ſyncope Febribus ſuperveniente, extremis partibus perfrigeratis usque ad inguina & ſub alas, cataplaſma imponendum eſſe ex ſinapi, aut pyrethro, aut adarce præcepit (4). Vetuſtiſſimus quidem author Hippocrates extrema algentia, ſi alvus fluat, ceratis calefieri juſſit (5).

Ex anno autem 1575, quo tempore magnas ſtrages Venetiis & Patavii edidit peſtis, magis invaleſcere incepit veſicantium uſus; atque ab eo tempore non veriti ſunt medici, ex authoritate præcipue Hieronymi Mercurialis, cantharidibus, quarum virus apud plerosque quondam erat ſuſpectum, cutem veſicare. Eodem deinde ſæviente morbo Piſauri, & aliis multis Italiæ civitatibus, anno 1590, de hac medicina inter artis profeſſores multæ ortæ ſunt lites; ſed omnia quæ contra diſputata ſunt, (inquit vir doctiſſimus) refutavit Saxonia, libellis tribus de veſicantium uſu editis, in quibus quidem totum hunc locum ita copioſè pertractavit, ut qui eum conſecuti ſunt, ſequerentur plane, nihilque fere huic argumento adjecerint. Veruntamen iſte Saxo-

(2) Oribaſ. ſynopſ. lib. 6. cap. 25. Paul. Æginet. lib. 2. cap. 36.

(3) Lib 2. cap. 46.

(4) Lib. 3. cap. 34.

(5) Liber de rat. vict. in acut. morb. (398).

Saxonia, præter pauci evacuationem ſeri, & urinæ provocationem, facultates cantharidum intra revulſionem & derivationem ſiſti ſtatuit; atque omnes rationes, quibus is ad commoda veſicantium evincenda uſus eſt, in placita veterum de fluxionibus prorſus innixæ ſunt. Id vero commenti, firmis oppugnans argumentis, Helmontius primus omnium convulſit (6), & deinde nobile Harvei inventum penitus delevit. Saxoniæ igitur & veterum pro veſicantibus ratiocinia ut una corruant cum fundamento neceſſe eſt. Veſicantium autem ex cantharidibus uſus hodie apud nos frequentiſſimus eſt, ita ut vix ulla ſit Febris gravior, ubi iſta, more ſolenni a plurimis non adhibentur: quamobrem magnoperè intereſt medentium cognoſcere, quænam mutationes ab hoc efficiuntur præſidio; eæque haud aliter quam ex fidis experimentis diſcendæ ſunt.

Igitur, omnibus in propatulo eſt, quid circa cutem veſicantia poſſunt; ibi utique veſiculam ichore plenam, plerumque intra paucas horas, concitant, ſæpe quidem ſine multo calore aut dolore. Educendo itaque ſero ſanguinis, quod etiam aliquandiu poſt ablatum veſicans interdum exſudat, aliquid a corpore demunt, & excitando dolore pro ſtimulo ſunt: ſed raro admodum ratione evacuationis, aut ſtimuli ex dolore nati, multum efficiunt. Atqui cantharidum poteſtates internis corporis ſedibus, & humoribus, maximam partem impenduntur.

Uncias

(6) In Tract. quibus Titul. ſunt, Catarrhi deliramenta. Canterium. latex humor errans.

Uncias octo ſanguinis ex venâ ægrotantis detracti in duo vaſcula indidit Baglivius, in altero pulv. cantharid. ſcrupulum ſanguini immiſcuit: is inde primo coagulari viſus eſt, mox colore plumbeo aut ſubnigro infectus eſt, & ſubtilem pelliculam ad ſuperficiem exhibuit, deinde eam totam maxima veſicularum copia occupavit, quæ ſubnigrum ſerum ruptæ emittebant, tandem totus ſanguis diſſolutus eſt, & in ſerum nigrum & ſublividum converſus. Interim ſanguis in altero vaſe nil hujusmodi paſſus eſt (7).

Ubi pulvis cantharidum ſanguinis ſero admiſcetur, id liquidius & tenuius fit, & vix cogi poteſt (8).

Per venam canis jugularem ſub æſtate unciæ duæ tincturæ cantharidum infuſæ ſunt, proxime id aquea & viſcoſa evomuit animal, tum ſalivam viſcidam ore ejecit; a vulneris curatione ablegatum humi procubuit ſemianime, caputque vix attollere poterat, ſitiebat præterea vehementer, & linguam præ ſiti cum anxietate exſerebat, epotis duodecim circiter aquæ libris in pedes ſe elevabat, caput libere & recta cervice movebat, alacriusque factum eſt, redditâ autem urinâ copioſiſſimâ flavâ humi iterum concidit, & caput attollere non amplius ſuſtinuit, ſed ſemiſtupidum & capite nutans ad mortem usque fuit; interea ululabat, nil comedebat, vehementerque ſitiebat, ſed nil aquæ conceſſum eſt, quarto tandem die convellebatur, & poſt maximos ululatus noctu expiravit (9).

Catu-

(7) Bagliv. de uſu & abuſu veſicant. cap. I. exper. 3.
(8) Ibid. exper. 4.
(9) L. c. exp. I.

Catulus etiam eidem experimento adhibitus fuit, qui poſtquam eadem ac canis paſſus eſt, nullâ aquâ conceſſâ, intra ſex horas graviter ululando mortuus eſt (10).

In utroque viſcera omnia integra viſa ſunt, ſanguis autem, qui ex diſſectis venis aut viſceribus emanabat, nigerrimus erat, minime coagulatus, ſed diſſolutus prorſus, & in ſuperficie minimis veluti olei guttulis perfuſus. In veſica urinaria canis ne minima quidem muci portio, quocum illa naturaliter oblinitur, inventa eſt. Bilis in veſica fellea quadam nigritie tingebatur.

Quibus datæ ſunt cantharides, authore Dioſcoride, ſigna eveniunt graviſſima. Ab ore enim ad veſicam usque cuncta erodi ſentiuntur, picem aut ſimile quiddam cedriæ reſipiunt, dextra præcordia inflammantur, urinam ægre reddunt, & ſubinde cum lotio ſanguinem emittunt, ſtrigmenta haud ſecus atque dyſentericis alvo deferuntur, faſtidio urgentur, animo linquuntur, obortâque vertigine concidunt, poſtremo mente alienantur (11). Fœdam etiam ſatyriaſim ex devoratis cantharidibus ſupervenire interdum viderunt medici.

Cantharidibus inter Febres cuti impoſitis, intenditur cum ſitis, tum linguæ ariditas, pulſus frequentiores & celeriores redduntur, ſed nunc pleniores nunc magis contracti ſentiuntur, augetur Febris, doloribus lancinantibus aliquando cruciatur veſica, præcipuè ſi nova veſicantia ſedibus priùs ulceratis vix renatâ cute admoveantur; ſanguis interdum & pelliculæ quaſi mem-

(10) Lib. c. exp. 2.
(11) Lib. 6. cap. 1.

membranæ eroſæ, cum urina redduntur, eaque paſſis veſica a morte exulcerata viſa fuit; citatur plerumque urina, nonnunquam vero ſupprimitur, ſed haud raro guttatim cum difficultate egeritur. Accidentia a veſicantibus concitata, nunc citius, nunc tardius ceſſant, ſed intra triduum utplurimum finiuntur.

Ex his conſtat, quòd acris cantharidum materia cutem ſubire, humoresque inde inficere, valeat; aliter ſanè neſcio, quomodo tanta vitia circa urinæ vias ab iis cuti impoſitis concitari poſſunt. Obſervare etiam licet a cantharidibus devoratis, vel per venas infuſis, pariter offenſas fuiſſe urinæ vias. In ſuperioribus notatum eſt, quòd ſanguinis ichoribus & ſalibus iis inhærentibus, qui quotidiè eliminari deſiderant, natura exitum per renes paraverit. Quandoquidem igitur cantharides inſtar veri ſolventis in ſanguinem agant, eumque in ichorem convertant, tum etiam acri ſale inficiant; id veneni quacunque demum via ſanguini admiſceatur, veſicam potiſſimum petit, & primo quidem mucum vias urinæ oblinientem conſumit, deinde fibras illarum exquiſitè ſentientes laceſſit; unde has partes dolores habent atroces. Si vero vaſa ultima renum tomentoſa eroduntur, ſequitur mictus cruentus, ſi membranæ ureterum & veſicæ, ſupra cruciatus pelliculæ cum urinâ redduntur, ſi fibræ muſculares, renum papillas ambientes, diſtentione ab acri cantharidum ſtimulo corripiuntur, retinetur ex toto urina, vacuâ interim veſicâ.

A cute vero ad renes antequam ſe appellit cantharidum virus, per venas cum ſanguine in cor dextrum tranare debet, ibi cum toto ſanguine

guine confunditur, & deinde in pulmonibus admodum commiſcetur, ita ut fieri nequeat, quin per omnia vaſa ſanguinea deferatur.

Quid autem impedimento eſſe poſſit; quo minus mucum cor & arterias defendentem erodat, & fibras deinde eorum nudas pungat? Hæ quidem dolere neſciunt, ſed in contractiones quocunque ſtimulo provocantur; cor enim quorumdam animalium poſtquam aliquandiu, vel e corpore exciſum, ſe movere deſiit, ſi aculeo pungatur, vel acri materia irritetur, iterum contractionibus agitabitur. At in omnibus animalibus jugulatis, in quibus experimentum inſtitutum eſt, quieſcenti jam cordi per ſtimulum reſtitui potuit actio. Sed arteriæ quoque, demonſtrante D. de Gorter, ſupra vim villi contractilis proprio motu muſculari inſtar cordis gaudent (12). Hæ igitur a ſtimulo pariter atque cor in vivis afficientur. Ex his intelligitur, quam ob cauſam arteriæ a veſicantibus concitatius moventur, vel etiam aliquando, ubi fibræ earum ſentientes magis irritabiles, aut muco minus defenſæ, aut multo veneno infectæ, quaſi rigore corripiuntur, ita ut inde pulſus exiles, & obſcuri fiant. Hanc veſicantium potentiam olim, & fortè primus, notavit Baglivius; ſcribit enim, quod poſt veſicantium applicationem, præter alia, pulſus quaſi obſcurantur, atque id perſpicuum fuit in delirantibus nonnullis, quibus illi prius alti erant: addit, & id mali tamdiu durare, quamdiu inhærent acres cantharidum ſales, quibus eliminatis, una cum aliis vitiis a veſicanti-

(12) In exercitat. medic. de motu vitali.

cantibus natis evaneſcere (13). Ex monitu Baglivii ad hanc rem attentus, a veſicantibus, ubi pulſus fuerat celer admodum & frequens, ego ejusmodi arteriarum affectionem ſæpe natam eſſe obſervavi; & a plurimis id obſervatum eſſe nullus dubito. Hæc quidem ex obſervationibus a ſocietat. Edinburg. evulgatis ſunt. Me multum fefellerunt veſicantia; (ita loquitur author diſſert. de Febribus nervoſis) nam ea ipſa, quibus plurimum fidebam, omnia mala accidentia interdum exaſperabant, ita ut, quo tandem me verterem, planè neſciverim; & hoc quidem in arteriarum motu maximè notabile erat, pulſus utique, qui ſatis plenus & mollis fuit, admoto veſicante exilis & contractus fiebat, & reliqua mala ſimul ingraveſcebant, poſt autem intervallum pulſus iterum mollior, & plenior ſentiebatur, ſed nova veſicantia eosdem iterum effectus edebant, atque id quidem, experimento ad plures vices repetito, haud aliter accidit (14).

Noſtra porro veſicantia ſanguinem eliquant, acrique ſale inficiunt. At ſi ichores ſanioſi, qui per renes efferri debent, intus retineantur, caput fere læditur; vel ſi inter Febres modo ſales, oleumque urinoſa, non exeant, cujus indicium eſt urina tenuis & aquoſa, in procinctu ſtat inſania. In iis præterea Febribus, quibus ſanguis mittitur rutilus, & diſſolutus, cerebrum inſigniter malè affici conſuevit. Qui cantharidas devoraverunt obortâ vertigine concidunt, & men-

(13) Bagliv. l. c. cap. 2. No. 3 & 4.
(14) Vol. 4. (370).

mente alienantur. Canes etiam, infuſâ per venas tincturâ cantharidum, ſtatim caput graviſſimè læduntur; canis autem, cui larga aquæ copia conceſſa fuit, brevi ſaltem intervallo convaluit, ſed inhibita omni deinceps potione, quarto die mortuus eſt, alter quidem, cui nil aquæ conceſſum fuit, intra ſex horas a vitio, uti videtur, capitis interemptus eſt.

Cum igitur deliria in Febribus acutis ſalium, qui per renes efferri debent, retentionem a tergo ſequantur & cantharidum virus poſt urinæ vias caput maximè obſideat; & Febres cum diſſolutione ſanguinis in capitis affectus pronæ ſint; haud certum eſt, quòd in omnibus capitis & nervorum vitiis ſummoperè neceſſaria ſint veſicantia. E contra æquum eſt cenſere, ubi in Febribus, cum ſanguine diſſoluto & acri, vitia capitis & nervorum inſtant, vel urgent, quod ea per veſicantia citius arceſſantur, & vehementius intendantur. Mentis ſane alienationem, & tendinum ſubſultus, ſupra veſicantia accedere, & exacerbari in confeſſo eſt apud eos, qui pro uſu veſicantium in omni Febrium genere acriter contendunt. At nonnullis hæret fixa in pectore de veſicantium virtute contra hos affectus opinio, ut quodcunque ejusmodi acciderit mali, id totum a morbo eveniſſe, & neglecto remedio longè vehementiùs preſſurum, perſuaſum habent; ſed cum hæc vitia admotis veſicantibus aliquando protinus accedant, & amotis iisdem ſenſim evaneſcant, & hoc tèr quatèrve vel ſæpius in eodem ægrotante fieri viſum ſit; mihi nunquam perſuaderi poteſt, ut credam in omni-

omnibus vitiis capitis & nervorum ſummum eſſe in cantharidibus remedium.

Neque adverſus Febres ſemper utilia eſſe videntur veſicantia; ſiquidem ex putridis nonnullæ ſanguinem colliquant, & in putidam fere ſaniem convertunt. Hæ in æſtatibus calidiſſimis apud nos graſſantur, delirio & nervorum diſtentionibus maxime opportunæ ſunt, pulſuque crebro & celeri inſigniuntur. Pulſus quidem celeres, qui duro ictu non validè feriunt digitum, a putredine humorum proficiſci prodidit Galenus. Arteriæ enim ſuâ contractione fuliginoſum excrementum, quod in iis eſt contentum, excernunt. Ubi igitur fuliginoſum excrementum præpolleat, plurimum contrahitur arteria, diſtenditur non plurimum cor cum arteriis; hinc arteriæ conſidentis motus digitis probè exercitatis ſentitur celer, diſtendentis autem non validus. At ſi cordis contractio brevi intervallo peragitur, celeritèr diſtendetur arteria; ſicque pulſus in utroque motu celer erit. Hæc pluraque de celeri pulſu apud Galenum videre eſt (15). Cæterum ſuſpicor, quòd pulſuum celeritas in Febribus putridis ab acrimonia putreſcentium humorum cor & arterias irritante potiſſimum concitetur. Adeo autem duri non ſunt pulſus in his ac in morbis inflammatoriis, quoniam ſanguis in inflammatoriis ſpiſſus eſt, in putridis vero liquatur. Ejusmodi quoque indolis ſunt Febres eryſipelatoſæ exqui-

L 2 (16)

(15) De præſag. ex pulſ. lib. 3. cap. 7. & lib 4. cap. 12, & de different. Feb. lib. 2.

ſitæ, quædam ex petechialibus, & præ cæteris nonnullæ caſtrenſes epidemicæ. Solvens autem ſanguinis validiſſimum adhibere, ubi is nimium ſolutus fuerit, tum acrem ſanguinis labem acerrimo ſale intendere, tum arterias ſupra modum celeriter & frequenter agitatas acutiſſimo ſtimulo incitare, rationi prorſus contrarium eſt. Sed hæc omnia a veſicantibus in iſtiusmodi Febribus expectanda ſunt. Graſſantibus quondam Romæ Febribus colliquativis, ſive a diſſolutione, quamplurimi ex Galenicis, nimium hærentes ſuis hypotheſibus, gravia & improportionata eorum ſymptomata a venenatâ qualitate dependere crediderunt; ideo ad veneni evocationem quatuor, ſex, vel plura adhibebant veſicantia. Poſtea tamen ſæpiſſimè convulſiones, deliria majora, Febris incrementum, abſceſſus in viſceribus, & tandem mortem contingere, obſervavit Baglivius; ob diſſolutam ſcilicet magis magisque ſanguinis maſſam a cauſtico cantharidum ſale, & acri pariter Febris materiâ. In delirantibus, eodem authore, cum Febre acutâ, & linguâ aridâ, dum admovebantur in xenodochio veſicantia, omnes celeriter moriebantur, & magna parte convulſi. Quibus repetitis eventibus perterrefactus, ipſe poſtea feliciter uſus ſum emulſionibus refrigerantibus, & ſectione venæ frontis (16).

Eſt autem Febrium genus, in quo contrarium ſanguinis vitium plane obtinet, is utique len-

(16) De uſu & abuſu veſicant. cap. 2. No. 3. Eadem confirmantur, obſerv. 131. dec. 11. A. ix. miſcel. nat. curioſ. & obſerv. Thoner. lib. 1. obſ. 20.

lenteſcit, glutinoſus eſt, & magna diſpoſitione ad concreſcendum præditus eſt. Hanc humorum in Febribus differentiam ſapuiſſe videtur Hippocrates; nam hic alteram anginæ ſpeciem in hieme ex humore lento & viſcido, venas obſtruente, atque ſanguinis & ſpiritus vias occludente, natam eſſe ſcribit: alteram æſtate aut autumno ex calidâ nitroſâ & acri fluxione gigni, quæ quidem aſperam arteriam mordendo anginam concitat (17).

Igitur, in Febribus inflammatoriis, rheumaticis, hyemalibus, & aliis, in quibus ſanguis detractus glutinis vel corii inſtar ad ſuperficiem concreſcit, vel nimium ſpiſſus eſt, ad ſolvendum lentorem egregiè conferunt veſicantia; ſed in Febribus inflammatoriis intentiùs moventur arteriæ, quamobrem, poſt debitam ſanguinis miſſionem locum habet id remedii; atque licet motus arteriarum, etiamnùm nimis veloces, ab eo intendantur, brevi tantum intervallo id fiet, poſtea quidem eliquatis denſis humoribus, pulſus ſentientur molliores, & Febres erunt leniores.

In lentis etiam Febribus, & in omnibus, ubi pulſus pro ratione morbi langueant, ad eos incitandos ſummum eſt in veſicantibus auxilium. In ſoporoſis igitur affectibus, quibus pulſus rarus & tardus ſolennis eſt, hoc remedium ab omnibus arripitur; præcipue ſi Febris ſimul fuerit lenior, & vitium ex crudo & lento humore

(17) De vict. in morb. acut. (397).

more concitatum. Et jure quoque optimo Sydenhamus in Febribus hyemalibus, ubi ſanguis lentus & ſpiſſus eſt, & arteriarum actio pro ratione vitii non ſatis valida, veſicantia potiſſimum probavit; has enim utrinque ſecat id genus præſidii.

Si autem ad hæc de uſu veſicantium confirmanda ulteriori authoritate opus ſit, ſententiam duorum ex maximis in arte magiſtris depromam. Prima erit Mercurialis, qui veſicantia ex cantharidibus inter Italos princeps invexit. Magnâ diligentiâ conſiderandum eſſe puto, quod etiam docui de Febribus peſtiferis agens, hujusmodi medicamenta non eſſe indiſcriminatim omnibus Febribus adhibenda; nam invenio veteres tantum uſos eſſe ſinapiſmis in iis Febribus, in quibus vel lethargus, vel cataphora, vel propenſio in ſomnum, aderat. In aliis Febribus magnis fugiebant uſum ſinapiſmi. Itaque, ſi noſtra veſicantia ſunt vehementiora ſinapiſmis, planè non video, cur debeamus ita indiſcriminatim uti. Laudo ut utamini in iis affectibus, ubi caput vehementèr afficitur, & præſertim frigidis affectibus, atque tum potius pedibus adhibeatis (18). Primarius apud nos hodie medicus, qui longo uſu cantharidum facultates expertus eſt, & aliorum experimentis ſæpe interfuit; variolis laborantes (quo in morbo nonnulli hanc medicinam, ſi gravior ſit affectus, nunquam negligunt) aptos eſſe veſicantibus præcipit, quando evenit, ut cum pulſu arte-

(18) De compoſ. medicament. lib. 3. cap. 25.

arteriarum exiguo & languido, ſine ulla inſigni manuum intumeſcentia, febricitent, & imminutis admodum viribus torpeant magis, quam calore urantur. In hujusmodi ægritudine imponenda brachiis & cruribus emplaſtra veſicantia (19). Hæc ille: cæterum non modo in variolis, ſed in quaque Febre, pulſus nimis rarus & languidus veſicantia plurimum deſiderat; contra, frequens & celer rarò admodum admittit.

Adhæc autem id noſſe oportet, quòd veſicantia acri ſuâ materiâ arterias circa locum, cui aptantur, præ cæteris afficiant, & ideo in vehementiores motus agant: hinc fit, ut per proximas arterias humores majori copiâ & fortiori impetu urgeantur; ad expediendas itaque obſtructiones, quæ vaſorum vibrationes, & fluentium impellentem impetum poſtulant, juxta locos afflictos admota egregium præbent auxilium; ſicut in tollendis pertinacibus coxarum doloribus manifeſtum eſt. Cæterum quo majorem copiam humorum arteriæ locis veſicatis proximæ recipiant, eo minorem habebunt diſtantiores ab eodem trunco ortæ. Ita quidem veſicantia inter cervices admota, fluxiones optimè ab oculis, faucibus, & aſperis arteriis avertere ducuntur, a cerebro vero capiti aut ſpatio pone aures impoſita; at ſi a medio corpore humores ſollicitare præſtiterit, extremi artus veſicandi ſunt, ſi a ſuperioribus ſedibus ducere animus eſt, inferiores.

(19) Epiſt. ad J. Freind.

res. Ad revellendos igitur ſuccos malos fluitantes a ſedibus corporis internis, atque ad derivandos eos verſus externum habitum, ex uſu eſt id genus remedii, modo aliæ noxæ ab eo concitatæ hæc commoda non ſuperaverint. Denique ex hac veſicantium proprietate facilè intelligunt rei medicæ prudentes, cui corporis parti in quaque ægritudine ea admoveri debent.

45